BR
63
F4
v.22

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/sseusebiihierony22unse

Florilegium Patristicum

tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXII

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXX

Hieronymus, Saint

SS. Eusebii Hieronymi
et
Aurelii Augustini
Epistulae mutuae

Edidit, prolegomenis et notis instruxit

Josefus Schmid
S. Theologiae Doctor

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXX

41600

BR
63
F4
v.22

Praefatio.

Textus huius editionis epistularum SS. Hieronymi et Augustini adsumptus est ex editionibus criticis ab I. Hilberg et ab A. Goldbacher in CSEL curatis. Lectiones paucas, quibus hae editiones inter se differunt, in apparatu notavi, neglectis vero illis, quae ad orthographiam et interpunctionem pertinent. Prolegomenis, in quibus chronologiam satis complicatam epistularum et quaestiones ab Augustino et Hieronymo dissertas breviter tractavi, bibliographiam addidi selectam pro emolumento illorum, qui diligentius studio harum quaestionum se dare desiderant.

Restat, ut C. Weyman pro consilio, quo me in praeparando opusculo benignissime adiuvit, gratias agam.

Holzhausen prope Bad Aibling
mense Martio a. 1930.

J. Schmid.

Copyright by Peter Hanstein, Bonn 1930
Imprimatur. Coloniae, die 18. Junii 1930. Dr. Vogt, Vic. Gen.
Druck: Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co., Altenburg, Thür.

Prolegomena.

I. De temporibus et circumstantiis epistularum, quas Hieronymus et Augustinus sibi invicem dederunt.

Anno 383 Hieronymus et Augustinus simul Romae fuerunt. At Augustinus rhetor adhuc Manichaeus tunc cum Hieronymo, Damasi papae amico, non convenit, et ideo duo praeclarissima ecclesiae Latinae lumina numquam se suis oculis viderunt.

Anno vero 393 Alypius, Augustini amicus, iter ad orientem fecit et Bethlehem Hieronymum ex a. 386 ibidem degentem cognovit eiusque amorem lucratus est[1]. Per Alypium Hieronymus de Augustini conversione (a. 386) audivit huncque amare didicit[2]. Per eundem Africam reversum Augustinus, tunc simplex presbyter Hipponis regii[3], de eremita Bethlehemitano eiusque operibus audivit[4]. Circa idem tempus Hieronymi commentarius in epistulam Pauli apostoli ad Galatas in illius manus venit et vehementer eum movit. Quare Augustinus Hieronymo litteras dare consilium cepit. Tres quaestiones in prima epistula[5] movet. Petit ab Hieronymo, ut Graecorum S. Scripturarum interpretum, praesertim Origenis, versionem facere pergat. Secundo loco

Corrigenda:

pag. 61, 29 te enim] enim te
» 81, 9 sabbato] sabbato excepto
» 87, 21 haereticum
» 91, 7 relinquendum
» 92, 7 abs] abs te
» 95, 16 proprium] proprium quoque
» 96, 28 consulens
» 99, 6 aliquid] aliquid ipsa
» 24 et] ut
» 109, 19 Ecclesia
» 110, 18 qui] quis
» 23 diæt] dixit
» 122, 29 superexultat.

BR
63
F4
v.22

Praefatio.

Textus huius editionis epistularum SS. Hieronymi et Augustini adsumptus est ex editionibus criticis ab I. Hilberg et ab A. Goldbacher in CSEL curatis. Lectiones paucas, quibus hae editiones inter se differunt, in apparatu notavi, neglectis vero illis, quae ad orthographiam et interpunctionem pertinent. Prolegomenis, in quibus chronologiam satis complicatam epistularum et quaestiones ab Augustino et Hieronymo dissertas breviter tractavi, bibliographiam addidi selectam pro emolumento illorum, qui diligentius studio harum quaestionum se dare desiderant.

Restat, ut C. Weyman pro consilio, quo me in praeparando opusculo benignissime adiuvit, gratias agam.

Holzhausen prope Bad Aibling
mense Martio a. 1930

Prolegomena.

I. De temporibus et circumstantiis epistularum, quas Hieronymus et Augustinus sibi invicem dederunt.

Anno 383 Hieronymus et Augustinus simul Romae fuerunt. At Augustinus rhetor adhuc Manichaeus tunc cum Hieronymo, Damasi papae amico, non convenit, et ideo duo praeclarissima ecclesiae Latinae lumina numquam se suis oculis viderunt.

Anno vero 393 Alypius, Augustini amicus, iter ad orientem fecit et Bethlehem Hieronymum ex a. 386 ibidem degentem cognovit eiusque amorem lucratus est[1]. Per Alypium Hieronymus de Augustini conversione (a. 386) audivit huncque amare didicit[2]. Per eundem Africam reversum Augustinus, tunc simplex presbyter Hipponis regii[3], de eremita Bethlehemitano eiusque operibus audivit[4]. Circa idem tempus Hieronymi commentarius in epistulam Pauli apostoli ad Galatas in illius manus venit et vehementer eum movit. Quare Augustinus Hieronymo litteras dare consilium cepit. Tres quaestiones in prima epistula[5] movet. Petit ab Hieronymo, ut Graecorum S. Scripturarum interpretum, praesertim Origenis, versionem facere pergat. Secundo loco ab eo flagitat, ut potius Veteris Testamenti libros ex textu Graeco hexaplarico, ut iam in Psalterio et in libro Job fecerat, quam ex Hebraico vertat. Plurimum vero Augustini interest Hieronymi interpretationem controversiae Antiochenae Petri et Pauli (Gal 2, 11—14) refellere et corrigere. Magna libertate et acerbitate huius sententiam, secundum quam Paulus Petrum non vere, sed simulatorie tantum reprehenderit, ut perniciosam reprehendit. Talem epistulam Hieronymo parum placere potuisse satis patet. Ab Origenis enim partibus iam ex a. 394 defecerat. Magnoque dolore vidit Augustinum inter obtrectatores operis sui praeclarissimi, versionis S. Scripturarum ex Hebraica veritate, esse neque minore indignatione reprehensionem iuvenis presbyteri quoad interpretationem controversiae Antiochenae suscepit. Quae prima Augustini ad Hieronymum epistula a. 394 vel 395 scripta est. Alypius enim, qui iam ut episcopus memoratur (1,1), a. 394 Africam reversus et brevi post episcopus ecclesiae Tagastenae creatus est;

[1] cf. Hier. ep. 103, 2; 115; 142; 143, 1, 1. [2] cf. Hier. ep. 105, 2.
[3] cf. Aug. ep. 21. [4] cf. Aug. ep. 28, 1. [5] Aug. ep. 28.

Augustinus vero ipse, tempore huius epistulae adhuc simplex presbyter[1], a. 396 culmen episcopatus ascendit. Sinistra autem his litteris fuit fortuna. Profuturus etenim presbyter ad loca sancta profecturus, cui Augustinus epistulam tradidit, antequam iter aggrederetur, episcopus ecclesiae Cirtensis creatus pauloque post vita defunctus est[2].

Quare Augustinus huius rei certior factus alteram ad Hieronymum epistulam dedit (ep. 40), in qua primum huic gratias egit, quod pro subscripta salutatione plenam sibi epistulam reddidisset. Deinde quaestionem movet de vero titulo libri cuiusdam Hieronymi, „De viris inlustribus" scilicet (2,2). In quo libro id reprehendit, quod Origenis errata non improbata neque inter ceteros scriptores nominatos haereticae sententiae commemoratae sint. Deinde Augustinus iterum apostolorum controversiam Antiochenam tractat et sua de legis Judaicae observatione sententia prolata Hieronymi interpretationem acribus verbis castigat et ab hoc flagitat, ut eam corrigat. Tempus huius Augustini epistulae eo definitur, quod Hieronymus in ep. 105,1 a. 403 scripta testatur fratrem Sisinnium illam in insula Hadriae „ante hoc ferme quinquennium" repperisse. Circa a. 398 ergo scripta est. At fortuna adhuc sinistriore, quam prior habuerat, ad Hieronymum non pervenit. Paulus enim, cui Augustinus eam Hieronymo perferendam dedit, inscio Augustino[3] itineris viam mutans non in Palaestinam, sed Romam profectus est[4], ubi epistula divulgata in multorum manus pervenit. Post quinquennium demum Hieronymus ipse per Sisinnium apographum subscriptione carens accepit[5]. Quibus rebus, epistulae textu ac fortuna, Hieronymus vehementer iratus est. Suspicabatur „iuvenem" Augustinum puerili iactantia epistulam non sibi, sed publico destinasse, ut suae auctoritati detraheret[6]. Qua in suspicione vir post longam et acerrimam cum Johanne Hierosolymitano et Rufino litem faciliter laedendus ab amicis confirmatus est.

Ex hac altera Augustini epistula (ep. 40, 1,1; 6,9) apparet Hieronymum interim illi epistulam brevem misisse, qua respondit salutationi ab Augustino litteris cuiusdam alterius additae. Quaeritur sitne haec epistula eadem, quam inter Hieronymianas 103 hodie habemus. Quia Augustinus in ep. 40 ad verba huius Hieronymi epistulae alludere videtur, quae in ep. Hier. 103 non inveniuntur[7], illa quaestio neganda est. Ex ipsius autem epistulae 103 verbis „Anno praeterito per fratrem nostrum Asterium hypodiaconum dignationi tuae epistulam miseram" (1,1) elucet huic epistulae aliam praeisse, quae periit. Tempus vero ipsius epistulae 103 admodum difficulter definitur. Contra D. Vallarsium, quem sequuntur O. Zöckler et P. Wendland,

[1] cf. Aug. ep. 71, 1, 2. [2] cf. Aug. ep. 40, 5, 8; ep. 71, 1, 2.
[3] cf. Aug. ep. 82, 4, 33. [4] cf. Aug. ep. 73, 2, 5. [5] cf. Hier. ep. 105, 1.
[6] cf. Hier. ep. 102, 1; ep. 105, 2, 4; Aug. ep. 67, 2, 2. [7] cf. Asslaber 73—75.

Maurini et plurimi recentiores ut Fr. Overbeck, G. Grützmacher, P. Asslaber, N. Pronberger, F. Cavallera, hanc Hieronymi epistulam non anno 403, sed anno 397[1] attribuunt. Et quidem recte, ut mihi videtur. Probabilissime enim eremita Bethlehemitanus verbis „Nos in monasterio constituti variis hinc inde fluctibus quatimur et peregrinationis molestias sustinemus" (2,2) ad litem cum Johanne episcopo Hierosolymitano[2] alludit, quae anno 403 iam diu (ab anno 398) finita erat. Huc accedit, quod verba amabilia huius epistulae inter epistulas vehementes atque ira et acerbitate confertas 102, 105, 112 annis 403 et 404 scriptas vix cogitari possunt. Dissensio enim et abalienatio illis annis, ex quo Hieronymo per Sisinnium apographum epistulae 40 traditum erat, summae fuerant. Huius vero vehementis irae in ep. 103 nullum vestigium invenitur; e contrario epistula documentum sincerae venerationis et caritatis est. Difficultas autem a Vallarsio adnotata Asterium re ita se habente longum iter inter Palaestinam et Africam bis intra sex annos fecisse, cum et epistulam deperditam[3] et epistulam 103 Hieronymi Augustino pertulerit, tanti momenti non est.

Epistulare commercium duorum virorum continuari non posse videbatur. Augustinus enim fati epistulae suae 40 ignarus frustra Hieronymi responsum exspectavit. Quinque fere annis denique lapsis comperit ep. 40 in Hieronymi manus pervenisse[4]. Magno vero cum dolore audivit illi per fratres quosdam suggestum esse librum se adversus illum scripsisse Romamque misisse[5]. Quare festinavit suspicionem et iram „carissimi et desiderantissimi et honorandi in Christo fratris et conpresbyteri" sedare cum iuramento affirmans nullum se contra Hieronymum librum dictasse; si vero forte aliqua in aliquibus scriptis suis reperirentur, in quibus aliter aliquid quam Hieronymus sensisse reperiretur, non contra illum quod ipsi videbatur, scriptum esse[6]. Tempus ex eo, quod Augustinus Pauliniano, Hieronymi fratri, a. 401 ex Dalmatia Bethlehem reverso salutationem addit[7], et ex tempore ep. Hieronymi 102 annum 402 esse efficitur.

„In ipso profectionis articulo sancti filii Asterii", qui iam primam Hieronymi epistulam (deperditam) Augustino detulerat, Hieronymus huius epistulam 67 accepit statimque responsum dictavit. Haec ep. 102 documentum vehementis Hieronymi in Augustinum irae est et partim ex falsis amicorum de Augustini aemulatione nuntiis, partim ex curis morbo longinquo Paulae ipsi carissimae[8] creatis et ex molestiis litis cum Rufino explicari potest. Quaestionem Antiochenam tractare omnino

---

[1] vel a. 397—399; ita Cavallera II 48 sq.
[2] de qua cf. Grützmacher III 1—21; Cavallera I 193—227.
[3] cf. Hier. ep. 103, 1. [4] cf. Aug. ep. 67, 1, 1. [5] cf. ibidem 2, 2.
[6] ibidem 2, 2. [7] ibidem 2, 2. [8] cf. ep. 102, 1.

recusat, donec Augustinus exemplaria veriora litterarum suarum mitteret, admonitioni ad παλινῳδίαν loco aliunde petito et satis maligno respondet. Simul mittit Augustino Apologiam secundam adversus Rufinum ostendens illi, quid in controversia secum exspectare possit.

Quia Hieronymi Apologiae adv. scripta Rufini liber tertius fine anni 401 vel anno 402 orta est, haec epistula a. 402 dictata est[1].

Interim Augustinus, antequam Hieronymi epistulam 102 acciperet, duas novas epistulas ad illum dedit, quarum prior periit. In altera (ep. 71) per Cyprianum diaconum perlata Hieronymum certiorem facit de fortuna priorum litterarum (28, 40), quas ei iterum mittit[2]. Controversia Antiochena iam illis satis longe tractata in hac nova diffusius de versione Hieronymi ex Hebraeo loquitur, quae minus diligenter quam prior versio ex hexaplarico textu curata esse ei videtur quaque versioni Septuaginta interpretum sic diffamatae et per apostolorum usum approbatae obtrectetur et populus Christianus perturbetur timet. Ex initio huius epistulae elucet Hieronymi ep. 102 tempore, quo haec scripta est, nondum in Augustini manus pervenisse. Quare brevi post illam, i. e. anno 403, scripta est.

Augustinum autem non multum antea aliam epistulam nunc deperditam ad Hieronymum dedisse, quamquam a quibusdam negatur, haud difficulter probatur. In epistula 105 Hieronymus respondet ad verba, quae neque in Aug. ep. 67 neque in ep. 71 neque in alia Augustiniana inveniuntur: nuntium ab Augustino ad Hieronymum missum maris timuisse discrimina et navigationis mutasse consilium[3]. Hieronymi ep. 105 vero non respondere Augustini epistulae 71 ex eo sequitur, quod Hieronymus ibi[4] ab Augustino flagitat, ut aut mittat eandem epistulam (40) sua manu subscriptam aut senem latitantem in cellula lacessere desinat. Quam vero epistulam Augustinus sua manu subscriptam simul cum ep. 71 (et ep. 28) Cypriano dederat. Comprobatur haec conclusio eo, quod Hieronymus in ep. 105 nullo verbo epistulam 71 Augustini tangit et quod in ep. 112 satis clare ait se Augustini ep. 71 brevi antequam illa ep. 112 scriberetur accepisse[5]. Quare Hieronymi ep. 105 responsum ad aliam Augustini epistulam censenda est, quae periit. Quam epistulae 67 simillimam fuisse ex Hieronymi ep. 105 elucet.

Haec posterior vehementia et acerbitate priorem Hieronymi epistulam (ep. 102) vel superat. Augustino asseveranti nullum se contra

[1] Goldbacher (V 21) Hieronymum ad Rufini primam Apologiam suaeque Apologiae adv. Ruf. primam partem alludere censet. Quare ep. 102 inter Hieronymi Apologiae priorem et ultimam partem scriptam esse putat. Probabilius vero post Hieronymi ultimam responsionem adversus scripta Rufini, ad quam alludit, orta est.

[2] ep. 71, 2, 2.

[3] Hier. ep. 105, 1, 1.

[4] ibidem.

[5] Hier. ep. 112 1, 1.

eum librum Romam misisse cum quadam incredulitate et ironia respondet. Quaestiones autem ab illo propositas disserere recusat. Haec epistula Augustino per eundem Cyprianum diaconum perlata est[1], qui Hieronymo illius epistulam 71 pertulit et cum huius epistula 112 Africam reversus est. Ex quo magna difficultas oritur. Nequit enim, ut iam superius dixi, epistula Hieronymi 105 responsum esse ad Augustini epistulam 71, ut Grützmacher, Goldbacher et alii opinantur. Difficultas tolleretur, si Hieronymus, ut putat Asslaber (94), epistulam 105 retinuisset, donec Cyprianus cum Augustini epistula 71 advenerit, hic vero duas simul epistulas 105 et 112 secum Africam tulisset. Quod autem cum improbabile videatur esse, difficultas nullo modo prorsus aufertur.

Tempus epistulae 105 Hieronymi ex eo, quod post epistulam 102 et antequam epistula 71 Augustini advenit, scripta est, annus 403 vel 404 efficitur.

Post Hieronymi litteras 102 et 105 vel epistularis commercii continuatio impossibilis vel altera controversia similis illi inter Hieronymum et Rufinum oritura videbatur. At episcopus Hipponensis non erat alter Rufinus. Epistula nova (73), pulcherrima omnium et animi eius magnitudinis praeclarissimo documento, Hieronymo ad epistulam 102 respondit eiusque suspicionem atque iram sedare conatus est. Aperte ei scribit: „Proinde, cum ita rescribis, ut laedas, quis locus nobis relinquitur in disputatione Scripturarum sine ullo rancore versandi“[2]. Obsecrat Hieronymum per mansuetudinem Christi, ut, si ipse illum laeserit, dimittat sibi nec se vicissim laedendo malum pro malo reddat[3]. Multum se dolere confitetur de Hieronymi cum Rufino discordia: „Rogo te, si fieri potest, ut inter nos quaeramus et disseramus aliquid, quo sine amaritudine discordiae corda nostra pascantur fiat. Si autem non possum dicere, quid mihi emendandum videatur in scriptis tuis, nec tu in meis nisi cum suspicione invidiae aut laesione amicitiae, quiescamus ab his et nostrae vitae salutique parcamus“[4].

Quam epistulam Augustinus Hieronymo per Praesidium misit, a quo simul paucis verbis petiit[5], ut, si quae in litteris suis Hieronymum laedere possent, secum communicaret. Haec epistula Augustini cum accepta epistula 102 Hieronymi et ante epistulam 82 scriberetur et in Hieronymi, cum suam ille epistulam 112 scriberet, manus nondum pervenisset, anno 404 orta est.

Dum haec epistula in via est, advenit Hieronymi epistula 105, ad quam Augustinus respondere noluit, quia illum epistula sua 73 placatum iri sperabat.

---

[1] cf. Aug. ep. 82, 5, 36. [2] Aug. ep. 73, 1, 1. [3] ibidem 2, 3.
[4] ibidem 3, 9. [5] Aug. ep. 74.

Interim Cyprianus diaconus Hieronymo Augustini epistulam 71 cum duabus prioribus 28 et 40 pertulit. Tum demum Hieronymo in animum venit quaestiones ab Augustino iterum atque iterum propositas disserere. Longa epistula[1], immo libro tridui spatio dictato[2] primum de titulo libri sui „De viris inlustribus" loquitur (2,3), deinde profuse suam controversiae Antiochenae interpretationem satis acriter defendit. Primum non suam, sed Origenis sententiam in commentario in epistulam ad Galatas se proposuisse contendit[3]. Deinde vero illam interpretationem testimoniis ex epistula Pauli ad Galatas et Actibus Apostolorum probare conatur. Petrum et Paulum propter metum Judaeorum aequaliter legis se praecepta servare finxisse; quod vero non officiosi mendacii, sed honestae dispensationis et apostolorum prudentiae exemplum censendum esse[4]. Augustini autem explicationem, Judaeochristianos, quod legis mandata observassent, bene fecisse, dummodo ne spem salutis in ea posuissent, et apostolos misericordia commotos eandem observationem suscepisse, ut Judaeos lucrifacerent, macula haereseos Ebioniticae castigat[5]. Breviori modo Augustini quaestiones de versione sua Veteris Testamenti haud sine ironia et acerbitate disserit[6]: „videris mihi non intellegere, quod quaesisti".

Hanc epistulam posteriore parte anni 404 scriptam esse ex eo sequitur, quod Hieronymus in ea mortis Paulae ipsi carissimae[7] memoriam non facit, Johannem Chrysostomum vero nominat, „qui dudum in pontificali gradu Constantinopolitanam rexit ecclesiam"[8]. Qui mense Junii illius anni 404 in exilium missus est.

Post hanc acerbam epistulam Hieronymus Augustino aliam misit multo humaniorem[9], in qua testimonium videre licet eum Augustini epistula 73 tandem aliquatenus placatum esse. Huius quidem Augustini epistulae Hieronymus mentionem non facit; attamen tonus omnino mutatus, quo nunc loquitur, clare ostendit leonis Bethlehemitani iram Augustini mira humanitate fractam esse. Conatur priorem vehementiam excusare et pacem facere: „Sin autem amicus, qui me primus gladio petiit, stilo repulsus est, sit humanitatis tuae atque iustitiae accusantem reprehendere, non respondentem. In Scripturarum, si placet, campo sine nostro invicem dolore ludamus." Hanc epistulam misit Hieronymus Augustino circa finem anni 404 vel sequente anno per Firmum quendam inscio Augustino ex Africa Bethlehem profectum.

His tribus ultimis litteris (Hier. epp. 105, 112, 115) acceptis Augustinus longa epistula (82) respondit. Primum se non Rufini partibus accessisse ait. Deinde illud apertius sibi intimari cupit, dederit ne Hier-

[1] Hier. ep. 112. [2] ibidem 1, 1. [3] ibidem 3, 4—6. [4] ibidem 3, 7—12.
[5] ibidem 4, 12—17. [6] ibidem 5, 19—7, 22.
[7] cf. Hier. ep. 108. Paula mortua est 26. die mensis Januarii a. 404.
[8] ep. Hier. 112, 3, 6. [9] Hier. ep. 115.

onymus veniam, et diffuse principalem quaestionem de controversia Antiochena disserit. Sententiam suam de indole observationis legis per apostolos retinet ac novis argumentis defendit[1] et crimen haereseos Ebioniticae refellit addens legis observationem apostolica quidem aetate, dummodo ne in ea spes salutis poneretur, licitam fuisse, non vero posterioribus temporibus[2]. De utilitate versionis Hieronymianae ex Hebraeo persuasum sibi esse profitetur, in ecclesiis vero eam legi non vult, „ne contra Septuaginta auctoritatem tamquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consuerunt, quae etiam ab apostolis adprobata est"[3]. Hac epistula circa finem anni 404 vel anno 405 scripta controversia duorum Patrum per decem annos protracta finita est.

Sequentibus annis prioris discordiae obliti concordibus animis haeresim Pelagianam impugnaverunt. In qua controversia de peccato originali quaestio de origine animae hominis multum vexata est. In ea quaestione Marcellinus tribunus Romanus Hieronymo epistulam misit, ad quam hic respondens, cum rem obscuram ac difficilem ipse diffusius disserere nollet, illi suasit, ut eam viro sancto et erudito Augustino episcopo proponeret, „qui viva, ut aiunt, voce docere te poterit et suam, immo per se nostram explicare sententiam"[4]. Haec Hieronymi epistula circa finem anni 411, quo Marcellinus colloquio episcoporum catholicorum et Donatistarum Carthaginiensi praesedit[5], scripta est. Marcellinus igitur Augustinum in illa quaestione adiit. Circa idem tempus Orosius quidam presbyter Hispanus ad Augustinum venit ab eo consilium de refellenda haeresi Priscilliani petens. Quem Augustinus ad Hieronymum in Palaestinam misit eique duas epistulas Hieronymo perferendas tradidit. In priore harum epistularum[6] Hieronymo quaestionem de animae humanae origine, de qua ipse, dum vixit, numquam ausus est definitam proferre sententiam, proponit et ab eo petit, ut sibi dicat, „si animae singillatim singulis hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ... aut si non peccant, qua iustitia creatoris ita peccato obligantur alieno"[7]. In altera epistula[8] Augustinus a celeberrimo S. Scripturae interprete petit, ut sibi sententiae obscurae Jacobi: Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus (Jac 2, 10) explicationem det. Suam propriam huius loci interpretationem Stoicorum de paritate peccatorum doctrinam refellens diffuse tractat. Hae duae epistulae sive potius libri ab Orosio a. 415 Bethlehem

---

[1] Aug. ep. 82, 2, 4—3, 29. [2] ibidem 2, 16 sq. [3] ibidem 5, 34 sq.
[4] Hier. ep. 126, 1, 1 ad Marcellinum et Anapsychiam. [5] cf. ibidem 1, 1.
[6] Aug. ep. 166. [7] ibidem 4, 10. [8] Aug. ep. 167.

perlatae et idcirco brevi ante dictatae sunt. Quod sequitur ex eo, quod Orosius synodo Hierosolymitanae mense Julii a. 415 habitae interfuit[1].

Hieronymus Augustino petenti, ut sibi quaestiones propositas solveret et de epistulis traditis iudicium communicaret, non satisfecit. Brevi epistula[2] Augustino rescripsit se duobus libellis illius eruditissimis et omni eloquentiae splendore fulgentibus ad tempus respondere non posse. Eadem epistula Hieronymus ad petitionem ab Augustino decem annis ante in epistula 82 (4,34) prolatam, ut sibi versionem librorum Veteris Testamenti ex textu Graeco hexaplarico factam mitteret, responditpleraque prioris laboris ob fraudem cuiusdam se amisisse. Principalis autem causa, cur Hieronymus quaestiones propositas disserere noluerit, in eo quaerenda est, quod minus theologiae dogmaticae quam exegeticae peritus erat. Augustinus vero sequentibus adhuc annis, „quousque esset in corpore", responsionem exspectavit[3]. Haec epistula Hieronymi cum probabilissime ab Orosio anno 416 Africam reverso Augustino perferretur, eodem anno scripta est.

Magnae reverentiae, qua Hieronymus in hac epistula de Augustino loquitur, alia testimonia exstant in tribus litteris, quas ille sequentibus annis episcopo Hipponensi misit. In quarum prima[4], scripta anno 418 brevi ante Zosimi papae epistulam tractatoriam, Augustino gratulatur, quod contra haeresim Pelagianam ardore fidei perstiterit. Altera epistula[5] satis aenigmatica et, ut videtur, mutilata, eodem anno 418 post epistulam tractatoriam Zosimi, qua demum haereticorum cervices fracti sunt, et ante Eustochiae obitum scripta esse videtur. Ultima vero omnium epistularum[6] senex Christi miles litteris Augustini et Alypii (deperditis) respondet, qui ab ipso flagitaverant, ut libros Anniani Pelagiani refutaret. Simul gaudium suum exprimit, „quia cooperatoribus et auctoribus vobis haeresis Caelestina iugulata est". Haec ultima epistula non multo post mortem Eustochiae extremo Hieronymi vitae anno (419) scripta testimonium inturbatae amicitiae et concordiae duorum praeclarissimorum Latinae ecclesiae luminum praebet.

---

[1] cf. Orosii Lib. apologet., *ed. C. Zangemeister* (CSEL 5, 661 sqq.).

[2] Hier. ep. 134.

[3] cf. Aug. ep. 190, 21 ad Optatum (*ed. Goldbacher* IV 156); Retract. II 45 (PL 32, 649).

[4] Hier. ep. 141. [5] Hier. ep. 142. [6] Hier. ep. 143.

Conspectus chronologicus epistularis commercii Augustini et Hieronymi.

Numerus inter epp. Aug.	Numerus inter epp. Hier.	Auctor	Incipit	Annus	Pagina
28	56	Aug.	Numquam aeque . .	394—395	27—32
40	67	Aug.	Habeo gratiam . . .	c. 398	32—37
39	103	Hier.	Anno praeterito . . .	397	37—38
67	101	Aug.	Audivi pervenisse . .	402	38
68	102	Hier.	In ipso profectionis .	402	39—40
71	104	Aug.	Ex quo coepi	403	41—44
72	105	Hier.	Crebras ad me . . .	403—404	44—46
73	110	Aug.	Quamvis existimem .	404	47—52
74	111	Aug.	Sicut praesens . . .	404	53
75	112	Hier.	Tres simul epistulas .	c. finem a. 404	53—73
81	115	Hier.	Cum a sancto	404—405	73
82	116	Aug.	Iam pridem tuae . .	404—405	74—93
165	126	Hier.	Tandem ex Africa . .	c. finem a. 411	94—96
166	131	Aug.	Deum nostrum . . .	415	96—113
167	132	Aug.	Quod ad te scripsi .	415	113—124
172	134	Hier.	Virum honorabilem .	416	124—125
195	141	Hier.	Omni quidem	418	125—126
123	142	Hier.	Multi utroque . .	c. finem a. 418	126
202	143	Hier.	Sanctus Innocentius .	419	127—128

II. Quatuor potissimum quaestiones Hieronymus et Augustinus in epistulari commercio disseruerunt:

1. De auctoritate interpretationis Veteris Testamenti Septuaginta et de valore et utilitate versionis Hieronymi ex textu Hebraico factae.
2. De interpretatione controversiae Petri et Pauli Antiochenae (Gal 2, 11—14) et de indole apostolicae observationis legis Iudaicae.
3. De origine animae humanae.
4. De recta interpretatione sententiae Jac 2, 10.

1. Versio Veteris Testamenti primis saeculis in ecclesia Latina usitata ex versione Graeca, quae dicebatur Septuaginta, facta erat. Hieronymus cum Damasi papae mandato evangeliorum ceterorumque Novi Testamenti librorum textus Latini recensionem perfecisset, ut intolerabili codicum diversitati finem faceret, hic „pius labor, sed periculosa praesumptio" paucissimis placuit[1]. Augustinus inter paucos fuit, qui Hieronymo laudem tribuerunt[2]. Cum vero Hieronymus ab anno 391 consilium cepisset Veteris Testamenti libros non iam ex textu hexa-

[1] cf. Hier. ep. 26 et 27 ad Marcellam.
[2] cf. Aug. ep. 71, 4, 6; infra p. 43.

plarico interpretationis Septuaginta in Latinam linguam vertere, sed ex ipsa „veritate Hebraica", ingens tempestas indignationis super caput eius irrupit. Adversarii eius eum opprobriis et calumniis cumulaverunt. Falsarium et sacrilegum ipsum denominaverunt[1], qui novatione sua Judaeorum sensu nefario ductus textum sacrum vetustate et omnium ecclesiarum apostolorumque usu comprobatum[2] damnaret. Rufinus imprimis, Hieronymi infestissimus adversarius, huic obiecit libros quos ad plenissimum fidei instrumentum ecclesiis Christi apostoli tradidissent, eum nova nunc et a Judaeis falsata interpretatione mutare. Auctoritatem S. Scripturae ideo frangi[3]. Immo adversarii non dubitaverunt sub Hieronymi nomine epistulam scribere, in qua ille poenitentiam agit et se ab Hebraeis in adulescentia inductum esse testatur, ut Hebraea volumina in Latinum verteret, in quibus nulla sit veritas[4].

Quaestionem si movemus, cur opus splendidissimum ingenti sudore ac labore confectum hominibus illius temporis ita displicere potuerit, cur eius utilitatem exceptis auctoris amicis (ut Heliodoro et Chromatio, Domnione et Rogatiano, Desiderio et Sophronio, Paula et Eustochia) nemo comprehenderit et vel Augustinus obtrectatorum partibus accesserit, huius ipsius verba audiamus: „Intellegant propterea me nolle tuam ex Hebraeo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consuerunt, quae etiam ab apostolis adprobata est"[5]. Impedimentum omnium maximum firma et communis persuasio inspirationis miraeque originis interpretationis Septuaginta erat. Omnes Patres ex S. Irenaei[6] tempore illam fabulam de septuaginta cellulis, in quibus singuli inclusi interpretes mire eundem sensum iisdem plane verbis expressisse dicuntur[7], „quoniam re vera Spiritus erat unus in omnibus"[8], pia mente susceperunt[9]. Quare illorum non tam interpretum quam prophetarum[10] operi non humana, sed divina attributa est auctoritas, quae apostolorum usu adprobata esse videbatur[11]. Hieronymum ipsum hanc sententiam prioribus annis, cum adhuc Origenis vestigia in explicatione S. Scripturarum premeret, tenuisse, ex eius praefatione in librum Paralipomenon sec. Septuaginta[12] elucet. Cum autem a. 386 „de Ba-

[1] cf. PL 29, 557 sq.
[2] cf. PL 28, 157. 182. 505. 1137. 1141. 1308.
[3] cf. Ruf. Apol. in Hier. II 32—35 (PL 21, 611—614).
[4] cf. Apol. adv. Ruf. II 24; III 25 (PL 23, 447. 476).
[5] Aug. ep. 82, 5, 35. [6] Adv. haer. III 21, 2.
[7] cf. Hier. praef. in Pent. (PL 28, 150). [8] Aug. de civ. Dei XVIII 42.
[9] Testimonia collegit P. Wendland in appendice editionis suae Aristeae ad Philocratem epistulae (Lipsiae 1900).
[10] cf. Aug. de civ. Dei XV 14. 23; XVIII 44.
[11] cf. Aug. de doctr. chr. II 15. [12] PL 29, 423—426.

bylone Hierosolyma regressus" in studiis linguae Hebraicae profecisset, ad „Hebraicam veritatem", ad textum scilicet Veteris Testamenti originalem, redeundum esse intellexit. Obtrectatoribus suis in epistulis praefationibusque singulorum Veteris Testamenti librorum respondet idcirco se laborare, „non ut interpretationem antiquam (Septuaginta) reprehenderem, sed ut ea, quae in illa aut obscura sunt aut omissa aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent"[1]. „Nec hoc dico, quo praecessores meos mordeam, aut quidquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam olim meae linguae hominibus dederim; sed quod aliud sit in ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judaeis singula verba calumniantibus respondere"[2]. Si cui magis placeat vetus interpretatio, eligat[3]. Quodsi vero „nihil extra recipiendum putant: cur ea, quae sub asteriscis et obelis vel addita sunt vel amputata, legunt et neglegunt? Quare Danielem iuxta Theodotionis translationem ecclesiae susceperunt? Cur Origenem mirantur et Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter disserentes?"[4] „Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere"[5]. Cum vero adversarii apostolorum auctoritatem pro interpretatione Septuaginta afferunt, Hieronymus eorundem apostolorum testimonium pro sua Hebraica veritate profert: „Scripsi nuper librum de optimo genere interpretandi[6], ostendens illa de Evangelio 'Ex Aegypto vocavi filium meum' (Mt 2, 15) et 'Quoniam Nazaraeus vocabitur' (Mt 2, 23) et 'Videbunt, in quem compunxerunt' (Joh 19, 37) et illud apostoli „Quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se' (1 Cor 2,9) ceteraque his similia in Hebraeorum libris inveniri ... Ad Hebraeos igitur revertendum est, unde et Dominus loquitur et discipuli exempla praesumunt"[7]. Veterem vero superstitionem de divina Septuaginta interpretum inspiratione, ex qua omnes adversariorum obtrectationes oriebantur, Hieronymus ut fabulam reicit[8]. Et summa ironia scribit:

[1] Praef. in l. Job (PL 28, 1082); cf. praef. in Pent. (PL 28, 147), in l. Josue (PL 28, 461), in libros Salomonis (PL 28, 1243 sq.), in l. Paralip. (PL 28, 1326), Apol. adv. Ruf. II 24 (PL 23, 448).

[2] Praef. in l. Psalmorum iuxta Hebr. verit. (PL 28, 1126).

[3] Praef. in l. Salom. (PL 28, 1243), in l. Job (PL 28, 1084).

[4] Praef. in l. Josue (PL 28, 464).

[5] Praef. in l. Job (PL 28, 1079 sq.); cf. ep. 112, 5, 19 ad Augustinum (infra p. 68, 26—69, 11). [6] Hier. ep. 57 ad Pammachium (*ed. Hilberg* I 503—526).

[7] Praef. in l. Paralip. (PL 28, 1326); cf. praef. in Pent. (PL 28, 149 sq.), praef. in Ezram (PL 28, 1404), Apol. adv. Ruf. II 34 (PL 23, 456), ep. 112, 6, 20 ad Aug. (infra p. 70, 14 sqq.).

[8] cf. praef. in Pent. (PL 28, 151 sq.). Ad hanc sententiam Patrum cf. P. Wendland (ZntW I [1900] 267—290).

„Habeant, qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos vel uncialibus, ut vulgo aiunt, litteris onera magis exarata quam codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas et non tam pulchros codices quam emendatos“[1]. Victoriam autem Hebraicae veritatis suae Hieronymus non iam vidit.

Augustinum adversariis Hieronymi quoad versionem Veteris Testamenti ex Hebraeo adnumerandum esse ex epistulis eius ad hunc missis clare elucet. Diffusius in libro XVIII operis „De civ. Dei“ sententiam suam de versione Septuaginta disseruit. Septuaginta interpretes veros fuisse prophetas putat, qui non solum miraculoso modo versionem fecissent, sed etiam novas revelationes Dei accepissent[2]. Nemo igitur Veteris Testamenti interpres alius eis anteponi debuit. „Cum vero tantum in eis signum divinitatis apparuerit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebraea in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis Septuaginta interpretibus, aut si non congruere videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim, qui in prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuaginta viris, quando illa interpretati sunt; qui profecto auctoritate divina et aliud dicere potuit, tamquam propheta ille utrumque dixisset, . . . ut, si non eadem verba, idem tamen sensus bene intellegentibus dilucesceret, et aliquid praetermittere et aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potius potestatem, quae mentem replebat et regebat interpretis“[3].

Quare Augustinus et signorum criticorum ab Hieronymo in versione hexaplarica libri Job additorum sensum suo modo intellexit vel potius, ut Hieronymus ei rescripsit, non intellexit[4]. „Si ergo, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid est in Hebraeis codicibus et non est apud interpretes Septuaginta, noluit ea per istos, sed per illos prophetas Dei Spiritus dicere. Quidquid vero est apud Septuaginta, in Hebraeis autem codicibus non est, per istos ea maluit quam per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse prophetas.“[5] Quare Augustino e. g. in differentia numerorum dierum in Jon 3, 4, ubi Niniven civitatem secundum textum Hebraicum post quadraginta dies, secundum interpretationem Septuaginta post triduum interituram esse enuntiatur, nulla difficultas esse videbatur. Quamvis Jonas ipse ei, quod legitur in Hebraeo,

---

[1] Praef. in l. Job ex Hebr. verit. (PL 28, 1083 sq.).

[2] cf. De civ. Dei XV 13 sq.; 23; XVIII 42—44; XX 29 et saepius.

[3] De civ. Dei XVIII 43 (CSEL 40, 2, 337).

[4] cf. infra p. 68, 26 sqq.

[5] De civ. Dei XVIII 43 (CSEL 40, 2, 338). Haec explicatio signorum criticorum Origenis iam a S. Epiphanio proposita est; cf. P. Wendland (ZntW I [1900] 276 sq.).

„quadraginta" dixisse videatur, „Septuaginta quippe longe posterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret et in unum eundemque sensum, quamvis sub altera significatione, concurreret admoneretque lectorem utraque auctoritate non spreta ab historia sese adtollere ad ea requirenda, propter quae significanda historia ipsa conscripta est"[1].

Ex his intellegitur, cur Hieronymi versio libri Job ex Hebraeo Augustino neglegentius curata esse videri potuerit quam prior ex textu Graeco hexaplarico[2] et cur post prolixam claramque responsionem Hieronymi[3] sententiam suam retinuerit et adhuc desideraverit, ut ille versionem de interpretatione Septuaginta ederet[4]. Movit eum intolerabilis varietas codicum Latinorum[5], laudavit Hieronymi emendationem textus evangeliorum, inconcussa vero stetit auctoritas divina Septuaginta interpretum.

Posterioribus autem annis Augustinus Hieronymi opus aliquantum quidem aestimare didicit. Nam saepe eius versionem ex Hebraeo citavit[6]. Utilitatem novae interpretationis in eius perspicuitate positam esse putavit, ut elucet ex opere „De doctrina christiana" (IV 15)[7], ubi citat Am 7, 14 sq. „non autem secundum Septuaginta interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritualem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio; unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex Hebraeo in Latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguae perito interpretante, translata sunt". Qua concessione Septuaginta interpretum auctoritas supereminens nullo modo tangitur, „qui iam per omnes peritiores ecclesias tanta praesentia Sancti Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit ... Quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum praeferre audeat? Si autem contulerunt ut una omnium communi tractatu iudicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia[8] ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut decet. Quamobrem, etiamsi aliquid aliter in Hebraeis exemplaribus invenitur quam isti posuerunt, cedendum esse arbitror divinae dispensationi, quae per eos facta est, ut libri quos gens Judaea ceteris

[1] De civ. Dei XVIII 44 (CSEL 40, 2, 338 sq.); cf. ibid. XV 13 (CSEL 40, 2, 83—86); de consensu ev. II 128 (CSEL 43, 230).

[2] Aug. ep. 71, 2, 3 sq. (infra p. 41, 29 sq.).

[3] Hier. ep. 112, 5, 19 sqq. (infra p. 68, 26 sqq.).

[4] Aug. ep. 82, 5, 34 sq. (infra p. 92, 26 sqq.).

[5] cf. Aug. ep. 71, 4, 6 (infra p. 43, 19 sqq.).

[6] e. g. De civ. Dei XVIII 48 (CSEL 40, 2, 348); XX 20 (ibid. 509); XXII 29 (ibid. 659); Quaest. in Heptat. V 20 (CSEL 28, 3, 386—388): „obscure positum est... sed in ea interpretatione, quae est ex Hebraeo, apertius hoc distinctum reperimus"; similiter VII 35 (ibid. 486 sq.). [7] PL 34, 96. [8] sc. Hieronymum.

populis vel religione vel invidia prodere nolebat, crediturus per Dominum gentibus ministra regis Ptolemaei potestate tanto ante proderentur... Sed tamen... horum quoque interpretum, qui verbis tenacius inhaeserunt[1], collatio non est inutilis ad explanandam saepe sententiam"[2]. His verbis Augustinus clarissime sententiam suam firmissimam de incomparabili versionis Septuaginta auctoritate expressit et Hieronymi operi aliquanto inferiorem pro studiis textus sacri utilitatem concessit. Cum vero non duae interpretationes in ecclesiis legi possint, cedere debet opus hominis quamvis doctissimi operi Spiritus Sancti. Cursu demum saeculorum Hieronymi praeclarissimum opus victoriam adeptum et in usum omnium ecclesiarum Latinarum introductum est.

2. De interpretatione controversiae Petri et Pauli Antiochenae (Gal 2, 11—14) et de indole apostolicae observationis legis Judaicae.

Narratio apostoli Pauli in faciem se Petro restitisse, quia non recte ambularet ad veritatem evangelii, Patribus veteris ecclesiae magnam molestiam paravit. Cum ab haereticis tum ab adversariis religionis Christianae quaestio mota est. Auctor Ebioniticus homiliarum Pseudo-Clementinarum (XVII 19[3]) Paulum ut Simonem Magum Christum ipsum in Petro accusantem introduxit. Ex alia parte Marcion teste Tertulliano[4] Pauli verba testimonium suae doctrinae attulit, iam apostolos excepto Paulo evangelium Christi pervertisse. Philosophi denique ethnici Celsus[5] et Porphyrius Neoplatonicus[6] apostolis dissensionis invidiaeque opprobrium fecerunt.

Ad hos impetus refellendos difficultatemque removendam Patres diversas narrationis explicationes proposuerunt. S. Irenaeus difficultatem omnino neglexit, cum contra Marcionem ex observatione legis Mosaicae per apostolos identitatem dei Veteris et Novi Testamenti ostenderet (Haer. XII, 15). Tertullianus adversus Marcionem scribens sensum narrationis et totius quaestionis omnino distorsit dicens Paulum adhuc in gratia rudem ferventer ut neophytum in Petro aliisque apostolatus columnis reprehendendum existimasse, quod ipse postmodum, ut Judaeos lucrifaceret, fecisset[7]. Apostolos omnes personarum respectu variasse convictum. Aliam, veriorem interpretationem pro-

---

[1] Aquila, Theodotio, Symmachus (cf. Aug. ep. 28, 2, 2; infra p. 29, 8—11), Hieronymus. [2] De doctr. christ. II 22 (PL 34, 46).

[3] Clementina, *ed. P. de Lagarde (Lipsiae 1865) 168, 1—3.* Petrus Simoni Mago (i. e. Paulo) ait: ἢ εἰ κατεγνωσμένον με λέγεις, θεοῦ τοῦ ἀποκαλύψαντός μοι τὸν Χριστὸν κατηγορεῖς, καὶ τοῦ ἐπὶ ἀποκαλύψει μακαρίσαντός με καταφέρεις.

[4] Adv. Marc. I 20; IV 3; V 3; de praescr. 22. [5] cf. Orig. c. Cels. V 64.

[6] cf. Hier. ep. 112, 3, 6. 11 (infra 57, 26 sqq.; 62, 18 sqq.).

[7] Adv. Marc. I 20; IV 3 (*ed. Aem. Kroymann*, CSEL 47, 315. 427). Tertulliani sententiam nostris diebus iteravit *H. Grosch, Der im Galaterbrief Kp. 2, 11—14 berichtete Vorgang in Antiochia (Lipsiae 1916).*

posuit S. Cyprianus Carthaginiensis Petri lapsum quidem concedens, sed simul humilitatis exemplum in lucem proferens[1].

Aliter apud Patres Graecos quaestio soluta est. Clemens Alexandrinus eo nisus, quod adversarius a Paulo Antiochiae reprehensus Cephas, non Petrus nominaretur, non principem apostolorum, sed aliquem septuaginta duorum discipulorum Domini nomine Cephas a Paulo condemnatum esse putavit[2]. Hanc solutionem molestae quaestionis, quae vetustiore traditione non fundatur, multis posterioribus placuisse testatur Joh. Chrysostomus[3]. Jam a Patribus, ut Joh. Chrysostomo[4], Hieronymo[5], Gregorio Magno[6] reiecta recentioribus temporibus denuo fautores adepta est[7].

Minus placuit haec Clementis Alexandrini sententia eius discipulo Origeni, qui difficultatem alio modo removere conatus est. Ex mutua cum Paulo pactione Petrum sese ab Ethnicochristianorum societate retraxisse, ut occasionem haberet Paulus demonstrandi Ethnicochristianis legis abolitionem. Neutrum vero apostolorum ex corde egisse, sed et Petrum secessum ab Ethnicochristianis et Paulum Petri reprehensionem simulasse. Teste Hieronymo[8] Origenes in decimo Stromatum libro nunc deperdito, in quo S. Pauli epistulam ad Galatas declaravit, hanc sententiam exposuit. In opere vero Contra Celsum (II 1), ubi alludit ad idem factum, huius interpretationis vestigium non detegitur. Ut difficultatem solveret, quod Paulus in Petro reprehendisset, quae postea ipse fecit (cf. 1 Cor 9, 20; 10, 31; Act 16, 1 sqq.), Origenes cum Clemente apostolicam legis Mosaicae observationem post Christi mortem mere dispensatoriam (οἰκονομική) fuisse tenuit (cf. c. Cels. II 1; Comm. in Mt 15, 2 [PG 13, 925 sq.]). Hoc systema accommodationis seu simulationis, ut testatur Hieronymus (ep. 112, 3, 6), „ceteri deinceps interpretes sunt secuti, illa vel maxime causa..., ut Por-

[1] „Nec Petrus, quem primum Dominus elegit . . . despexit Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis et concordiae et patientiae tribuens" (ep. 71, 3, *ed. G. Hartel* [CSEL 3, 2, 773]). Quam explicationem suam fecit Zosimus episcopus Tharassae in concilio Carthaginiensi a. 256 (CSEL 3, 1, 454).

[2] Clem. Hypotyp. apud Euseb., H. E. I 12, 2 *ed. E. Schwartz I 82.*

[3] PG 51,383 sq. [4] PG 51, 373. [5] PL 26, 340 sq. [6] PL 76, 1003.

[7] Alb. Pighius (1490—1543), Assertio hierarchiae ecclesiasticae (Coloniae 1538), l. III cp. 2; Joh. Harduinus S. J. (1646—1729), Comm. in NT; accedit lucubratio, in cuius parte prima ostenditur, Cepham a Paulo reprehensum Petrum non esse (Amstelodami 1741); D. Vallarsi, Opera S. Hieronymi VII 1, 407 n. d.; M. Molkenbuhr, Quod Cephas Gal 2, 11 non sit Petrus apostolus (Monasterii 1803); A. Vincenzi, De Hebraeorum et Christianorum sacra monarchia (²Romae 1875) 305 sqq.; A. M. Völlmecke (Jahrb. v. St. Gabriel [Moedling prope Vindobonam] 1926, 33—75); cf. *Chr. Pesch, Zeitschr. f. kath. Theol. VII (1883) 456—476.*

[8] ep. 112, 3, 6 (infra p. 57, 23 sq.).

phyrio respondeant blasphemanti". Ex his verbis concludendum esse videtur illorum quoque Graecorum interpretum, quos Hieronymus in praefatione commentarii sui in epistulam ad Galatas[1] memorat, partim certe Origenis vestigia pressisse[2]. Satis mirum videtur esse vel Antiochenos, Origenis et Alexandrinorum in interpretatione S. Scripturarum adversarios, hanc sententiam Origenis suam fecisse[3]. In Theodoro Mopsuesteno[4] illius exemplum satis clare detegitur. „Illud autem dico", scribit Theodorus, „quoniam sive consensu ipsam controversiam inter se simulaverunt pro aliorum utilitate, sunt vere quidem mirandi, eo quod omnia ad aliorum utilitatem facere adquieverunt . . . Hic quidem qui praehonorandam omnibus credidit veritatem, et propter hanc non piguit nec praecellenti insigni apostolorum in faciem resistere; ille vero, licet videretur argui, tamen qui adquievit, totum ferens silentio". Ex his verbis patet etiam Graecos, fortasse „ut Porphyrio respondeant blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod principem apostolorum Petrum ausus sit reprehendere"[5], Petri silentium ut exemplum humilitatis ac concordiae intellexisse, quod apud Latinos iam Cyprianus expresserat. Theodoreti explicatio huius loci infortunate mutilata est[6]. Maximi vero momenti fuit, quod Joh. Chrysostomus, „magnus orbis terrarum magister", interpretationem Origenis, quae tunc apud Graecos iam communis fuisse videtur, suam fecit et novis argumentis probare conatus est[7].

Joh. Chrysostomum compilatores posteriores Joh. Damascenus (PG 95, 787) et Theophylactus (PG 124, 975) secuti sunt[8].

In ecclesia occidentali interpretatio Origeniana, simulationis systema, ante Hieronymum ignota fuisse videtur. Marius Victorinus Afer, de cuius commentariis in apostolum Hieronymus satis severe iudicat[9],

[1] PL 26, 308 sq.; cf. ep. 112, 3, 4 (infra p. 55, 20 sqq.).

[2] Ita Augustinus quidem (ep. 82, 3, 23, p. 87, 14 sqq.) Hieronymi verba intellexit. Didymus vero, quamvis Origenista, in hac re hunc non est secutus, ut ex opere eius de trin. (II 13; III 19 [PG 39, 540. 889]) concluditur. Ceterorum interpretum ab Hieronymo nominatorum commentarii perierunt.

[3] Antiochenos hanc explicationem non ex Origene ipso, sed ex traditione ecclesiae orientalis hausisse verisimile est.

[4] Theodori episcopi Mopsuesteni in epistolas b. Pauli Commentarii. The Latin Version with the Fragments ed. by H. B. Swete I (Cantabrigiae 1880) 21—24.

[5] Hier., ep. 112, 3, 6 (infra p. 57, 26 sqq.).

[6] PG 82, 12 sq. Ex eius comm. in Ezech 48, 35 (PG 81, 1250), ubi ad locum ep. ad Gal alludit, nil certi concludere licet.

[7] Comm. in ep. ad Gal (PG 61, 641 sq) et homilia In illud „in faciem ei restiti" (PG 51, 371—388).

[8] In Ps.-Oecumenii quoque catenam (PG 118, 1111) Chrysostomi explicatio inserta est.

[9] Hier. comm. ad Gal prol. (PL 26, 308); cf. ad Marii Victorini commentarios *A. Souter, The earliest Latin Commentaries on the Epistles of St. Paul (Oxonii 1927) 8—38.*

Petri reprehensibilem conversationem et Pauli obiurgationem non fictam, sed veram intellexit. Petri crimen non in eo invenit, quod ad tempus iudaice vixit — quae et Paulus ipse fecit —, sed quod ex falso motivo, metu sc. Judaeochristianorum, se Ethnicochristianis subtraxit[1]. Auctor ignotus commentarii in epistulas St. Pauli, qui sub Damaso papa floruisse videtur („Ambrosiaster"), Petrum ideo vere reprehensibilem declaravit, quia „interveniente causa neglegentiae vel erroris" Ethnicochristianis conversationis suae causam non detexit[2]. Ab interpretatione „sophistarum Graecorum" (ad Gal 2, 2) Ambrosiaster omnino non pendet[3].

Primus Hieronymus, Graecorum magnus inter Latinos interpres, Origenis interpretationem in exegesim Latinam introduxit. In commentarii in ep. ad Gal prologo[4] imbecillitatis virium suarum sibi conscium Origenis commentarios se secutum esse scribit. Haec Alexandrini opera in ipsa demum exaratione commentarii sui in Hieronymi manus pervenisse ex eo concludi debet, quod in interpretatione ep. ad Philemonem paucis diebus ante conscripta[5] correptionem Petri ut documentum libertatis apostolicae Pauli affert[6]. In commentario ad Galatas autem Origenis explicationem proponit et suam facit. Hoc ex eo patet, quod Hieronymus controversiam simulatam Petri et Pauli cum certaminibus fictis oratorum, quorum ipse quondam adulescens testis fuerat, comparat[7]. Hieronymi commentarius in epistulam ad Galatas primis

[1] PL 8, 1161 sq. [2] PL 17, 349 sq.

[3] cf. *A. Souter, The earliest Latin Commentaries on the Epistles of St. Paul (Oxonii 1927) 39—95.* [4] PL 26, 308 sq.

[5] Prolog. comment. in ep. ad Gal. (PL 26, 307A): Pauci admodum dies sunt, ex quo epistulam Pauli ad Philemonem interpretatus ad Galatas transcenderam.

[6] PL 26, 611: In tantum, ut is apostolus conversionis eius (sc. Onesimi) testis fieret, qui quondam Petrum increpaverat non recto pede in evangelii veritate gradientem.

[7] Sed quia propter eos, qui adhuc legem observandam putabant, paululum se [Petrus] a convictu subtraxerat gentium, hi qui Antiochiae crediderant ex gentibus . . . compellebantur ad legis onera transcendere: non intellegentes dispensationem Petri, qua Judaeos salvari cuperet . . . Cum itaque vidisset apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, nova bellator vetus usus est arte pugnandi, ut dispensationem Petri, qua Judaeos salvari cupiebat, nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret et resisteret ei in faciem: non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, ut ex eo, quod Paulus eum arguens resistebat, hi qui crediderant ex gentibus servarentur. Quod si putet aliquis, vere Paulum Petro apostolo restitisse . . ., non ei stabit illud quod et ipse Paulus Judaeis Judaeus factus est, ut Judaeos lucrifaceret, et eiusdem simulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cenchris . . ., qua auctoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis apostolus erat, quod ipse apostolus gentium arguitur commisisse? Sed, ut ante iam diximus, restitit secundum faciem [= κατὰ πρόσωπον] publicam Petro et ceteris, ut hypocrisis observandae legis, quae nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendaretur et uterque populus salvus fieret, dum et qui circumcisionem laudant Petrum sequuntur, et

annis post reditum in Bethlehem, i. e. circa a. 386/387 scriptus est[1]. Augustinus eum cognovit, cum adhuc simplex presbyter Hipponis regii esset, i. e. ante a. 395. Qui explicationem controversiae Antiochenae ab Hieronymo propositam vehementissime indignatus est. Brevi expositione epistulae ad Galatas[2] a. 394 orta et opusculo „De mendacio" brevi post scripto[3] illius doctrinam tacito nomine impugnavit et circa a. 400 in l. XIX contra Faustum Manichaeum iterum eandem quaestionem tractavit[4]. Praeter quaestionem versionis Veteris Testamenti ex Hebraeo haec altera eum movit, ut eodem tempore Hieronymo epistulam mitteret.

In prima epistula ad Hieronymum data (ep. 28) cum indignatione huic scribit mendacii eum patrocinium suscepisse. Exitiosissime credi ait in libris sanctis esse mendacium. „Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit"[5]. In altera vero epistula (ep. 40) Augustinus iisdem argumentis et opprobriis iteratis suam propriam de indole apostolicae observationis legis Judaicae sententiam addit. Difficultatem gravem in eo positam, quod Paulus in Petro reprehendit, quae ipse saepe commisit, Augustinus novo modo solvit. Non simulatione fallaci, sed compassione misericordi eum Judaeis Judaeum factum esse[6]. Judaeorum sacramenta eum, cum iam Christi esset apostolus, observasse „ut doceret non esse perniciosa his, qui ea vellent, sicut a parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum in Christum credidissent, non tamen in eis iam constituerent spem salutis... Quapropter non ideo Petrum emendavit, quod paternas traditiones observaret, ... sed quoniam gentes cogebat iudaizare" sic agens, „tamquam adhuc etiam post Domini adventum necessaria saluti forent"[7]. Vere igitur Petrum ob hoc a Paulo correctum esse

---

qui circumcidi nolunt, Pauli praedicant libertatem. Quod autem ait „Reprehensibilis erat", propterea inediae temperavit; ut intellegamus non tam Paulo eum fuisse reprehensibilem, quam his fratribus, cum quibus ante edens, se ab eis postea separabat... Nisi et Petro sic placuisset argui, et Paulus non ei faceret iniuriam.... Aliquoties cum adolescentulus Romae controversias declamarem et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut omissis saepe negotiis in proprias contumelias verterentur, et ioculari se invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt . . . et fallunt populum circumstantem: quid putamus tantas Ecclesiae columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiae inter dissidentes Judaeos atque gentiles facere debuisse? Nisi ut eorum simulata contentio pax credentium fieret et Ecclesiae fides sancto inter eos iurgio concordaret. Comm. in ep. ad Gal. 2, 11—13 (PL 26, 338—340).

[1] cf. *Grützmacher I 60—62. Cavallera* (II 27) commentarios in apostolum Paulum post interpretationem Ecclesiastis (388—389) scriptos esse vult.

[2] PL 35, 2105—2148. [3] *ed. J. Zycha* (CSEL 41, 413—466).

[4] cf. etiam De bapt. c. Donat. II 1, 3 (CSEL 51, 45 sq.).

[5] ep. Aug. 28, 3, 3. [6] Aug. ep. 40, 4, 4. 6. [7] ibidem 4, 4 sq.

et vera Paulum narrasse, „ne Sancta Scriptura . . . admissa auctoritate mendacii tota dubia nutet et fluctuet". Judaeos ideo errasse, quod post passionem et resurrectionem Christi adhuc putarent vetera sacramenta legis non ex consuetudine sollemnitatis, sed ex necessitate salutis esse celebranda. Hunc errorem Paulum dixisse se damna et stercora arbitrari, non vero observationes legis, si more patrio, sed sine ulla salutis necessitate celebrarentur. Paulum, si propterea legem observasset, quia simularet se Judaeum, ut Judaeos lucrifaceret evangelio, etiam cum gentibus sacrificare debuisse, ut eos quoque lucrifaceret.

Hieronymus, cum demum responsum dandi consilium cepisset, longa epistula sententiam Origenis et suam defendit[1]. Principalem difficultatem simulque differentiam inter suam et Augustini doctrinam his verbis exprimit: „Quod si cui iste non placet sensus (sc. Origenis systema simulationis), quo nec Petrus peccasse nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem, debet exponere, qua consequentia hoc Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit"[2]. Deinde multis testimoniis S. Scripturae probat „ante apostolum Paulum non ignorasse Petrum, immo principem huius fuisse decreti legem post evangelium non servandam"[3]. Timore autem Judaeorum, quorum erat apostolus, ne a fide recederent, Antiochiae eum se a gentilibus subtraxisse. Paulum vero multis occasionibus similiter egisse. „Didicimus", ita concludit Hieronymus argumentationem suam[4], „quod propter metum Judaeorum et Petrus et Paulus aequaliter finxerint legis se praecepta servare. Qua igitur fronte, qua audacia potest id Paulus in altero reprehendere, quod ipse commisit?" Quam apostolorum conversationem non officiosum mendacium, ut Augustinus scribit, sed honestam dispensationem et apostolorum prudentiae testimonium nominari vult. Hac explicatione coerceri blasphemantis Porphyrii impudentiam, „qui Paulum et Petrum puerili dicit inter se pugnasse certamine, immo exarsisse Paulum in invidiam virtutum Petri et ea scripsisse iactanter, vel quae non fecerit vel, si fecit, procaciter fecerit in alio reprehendens, quod ipse commiserit"[5]. Augustini autem sententiam haereseos Cerinthi et Ebionitarum iterationem esse. Distinctionem inter observationem legis Mosaicae per apostolos et per Judaeos evangelio non credentes reicit et testimoniis S. Scripturae refellit. Neque Judaeos ad Christianam religionem conversos adhuc legis caeremonias observare. „Observare autem legis caeremonias non potest esse indifferens, sed aut malum est aut bonum est"[6]. Si ergo Paulus non simulavit errorem Judaeorum, vere in ipsum incidit.

---

[1] Hier. ep. 112. [2] Comm. in ep. ad Gal 2, 14 (PL 26, 342); ep. 112, 3, 4.
[3] ep. 112, 3, 8. [4] ibidem 3, 11. [5] ibidem. [6] ibidem 4, 16.

Augustinus Hieronymo prolixa epistula[1] respondens primum disserit Paulum, cum iuraverit: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior[2], scripsisse veraciter vidisse se Petrum et Barnabam non recte ingredientes ad veritatem evangelii. Aliter ergo iudicandum esse de Pauli ipsius observatione legis, aliter de Petri Antiochena conversatione. „Ipsum vero Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit vel Cenchris votum persolvit vel Hierosolymis a Jacobo admonitus cum eis, qui noverant, legitima illa celebranda suscepit, ut putari videretur per ea sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, quae prioribus, ut congruebat, temporibus in umbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tamquam idolatriam gentilium damnare crederetur"[3]. Ita praedicatorem gratiae ostendisse tunc a legis sacramentis nec Judaeos tamquam a nefariis prohibendos nec gentiles ad ea tamquam ad necessaria compellendos esse[4]. Quamvis enim non essent bona, quia non eis homines iustificarentur, tamen non esse ea mala, quia divinitus praecepta essent[5]. Et quamvis gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse ea auferri a consuetudine Judaeorum tamquam detestanda atque damnanda[6]. Non fuisse ea tamquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia coepisset revelari, quae umbris talibus fuisset praenuntiata, sed permittenda paululum eis maxime, qui ex illo populo, cui data essent, venissent, postea vero tamquam cum honore sepulta a Christianis omnibus inreparabiliter deserenda[7]. Hieronymi autem explicationem Augustinus iterum defensionem mendacii officiosi declarat. Paulum recte Petrum reprehendisse, hunc vero reprehensionem minoris tolerantem adhuc rarius ac sanctius exemplum posteris praebuisse.

Hieronymus huic epistulae Augustini numquam respondit. Suam explicationem quamvis iam in Apologia adversus scripta Rufini[8] deseruisse videatur, in commentario in Isaiam prophetam annis 408—410 scripto retinuit[9]. Sequentibus autem annis „systema simulationis", quod Augustinus acribus verbis defensionem mendacii officiosi vocaverat, tacite deseruit. In Dialogo adversus Pelagianos[10] anno 415 scripto sententiae adversarii, tunc iam amici et commilitonis

[1] Aug. ep. 82. [2] Gal 1, 20. [3] Aug. ep. 82, 2, 8. [4] ibidem 2, 9.
[5] ibidem 2, 14. [6] ibidem 2, 15. [7] ibidem 2, 20.

[8] Apol. adv. Ruf. III 2 (PL 23, 458): Nonne et apostoli salvis inter se amicitiis dissenserunt? . . . Nonne idem Paulus in faciem Cephae restitit, quod non recto pede incederet in evangelio? Et tamen praecessorem suum et columnam ecclesiae vocat. [9] ad Is. 53, 12 (PL 24, 513).

[10] I 22 (PL 23, 516): Si enim ipse apostolus dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in evangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit, ut et Barnabas adductus sit in eandem simulationem: quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps apostolorum non habuit (quod irreprehensibilis sit)?

adversus haeresim Pelagianam assentiri videtur. Quod Augustinus notavit in epistula ad Oceanum[1].

Sententia Origeniana postea in ecclesia occidentali fautorem non iam invenit. In brevi explicatione Pelagii[2] et in commentario Ps-Primasii[3] a Pelagio dependente quaestio omnino non tangitur. A Facundo Hermiano explicatio Cypriani et Augustini repetitur[4]. Gregorius vero Magnus[5] allato loco 2 Petr 3, 15 Petrum laudat, quia nempe idem Petrus, qui in Pauli epistula ad Galatas reprehensionem suam legerat, in sua epistula secunda Paulo summam laudem tribuit, „quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate". Eandem sententiam repetit Agapetus papa[6].

Posteriores commentatores Latini aut Augustini et Hieronymi controversiam non tangunt aut Augustini sequuntur sententiam[7]. Inter doctores medii aevii Thomas Aquinas Augustini doctrinam suam facit scribens: „Hieronymus enim distinxit duo tempora: unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua ... nec etiam mortifera, quia non peccabant ea observantes: statim autem post passionem Christi inceperunt esse non solum mortua, id est non habentia virtutem et obligationem, sed etiam mortifera, ita scilicet quod peccabant mortaliter, quicumque ea observabant. ... Convenientius Augustinus distinxit tria tempora: unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua: aliud autem post tempus evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua et mortifera: tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem evangelii; in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. His autem, qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent"[8].

[1] Aug. ep. 180, 5 (*ed. Goldb.* III 700), scripta a. 420: In hoc opere recentissimo... eandem de ista re gesta dictisque apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.

[2] Pelagius's Expositions of Thirteen Epistles of St. Paul, ed. A. Souter II (Cantabrigiae 1926) 314 sq. [3] PL 68, 588.

[4] Pro defens. trium cap. VIII 6 (PL 67, 731).

[5] In Ezech l. II, hom. 6, 9 sq. (PL 76, 1002 sq.).

[6] Annales Ecclesiastici auctore C. Baronio VII (Antverpiae 1698) 225.

[7] Ps. Augustinus (Quaestiones Vet. et Novi Test II 60 [*ed. A. Souter*, CSEL 50, 453 sq.]) sequitur Ambrosiastrum, nisi ipse Ambrosiaster est; cf. *A. Souter, A Study of Ambrosiaster* (*Cantabrigiae 1905*). Ad commentatores medii aevi cf. *Fr. Overbeck (l. c. 71 sq.)*.

[8] S. th I II, q. 103, a. 4. ad 1; cf. eiusdem comm. in ep. ad Gal 2, 11—14, ubi

Eandem doctrinam, „quam secuti sunt communiter Scholastici antiqui ac denique moderni fere omnes", recentiore tempore profuse defendit Fr. Suarez[1].

3. De origine animae humanae.

Quaestio de animae humanae origine Augustinum, dum vixit, multum vexavit. In epistula 7, 3 ad Nebridium (a. 389) et in tertio operis „De libero arbitrio" libro (a. 395 finito) doctrinam, quae dicitur praeexistentianismus, sine offensione proposuit. „Harum autem quattuor de anima sententiarum, utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novae fiant, an in corpora nascentium iam alicubi existentes vel mittantur divinitus vel sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit"[2]. In posterioribus vero scriptis non solum Origenis doctrinam de praeexistentia animarum reprobavit[3], sed satis clare in operis „De Genesi ad litt." libro X[4] generatianismum, secundum quem sicut corpus e corpore ita anima ex anima primi parentis traducta esse putatur, ceteris de animae origine sententiis praetulit. Disquisitis pluribus S. Scripturarum locis, qui in utramque sententiam, generatianismum scilicet et creatianismum, duci possunt, illum celeberrimum ex epistula B. Pauli ad Romanos (5, 12. 18 sq.) affert[5], qui saltem de parvulis interpretatus creatianismo minus convenire ei videtur: „His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel paene paria ex utroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum praeponderaret. De quibus quid eis responderi possit, nondum mihi interim occurrit"[6]. Haec sententiarum mutatio doctoris praeclari ex eo declaratur, quod in lite contra Pelagianam haeresim ingentem de origine mali quaestionem profundius perscrutatus est. Augustini vero abalienatio a creatianismo, quem alii illius aevi doctores, ut Ambrosius, Hilarius, Hieronymus defendebant, intellegitur ex interpretatione sua loci Rom 5, 12, ubi „in quo" appositionem ad „unum hominem" intellexit[7] et interpretationem Pelagianorum, qui „in quo" — philologice procul dubio recte — coniunctionaliter explicabant, sensus distortionem declaravit[8].

differentiae inter Augustinum et Hieronymum disseruntur (S. Thomae Aq. in omnes S. Pauli ap. epistolas commentaria I [Taurini 1912] 541—544) et ad 1 Cor 9, 10 (ibidem I 309 sq.).

[1] Tractatus de legibus l. 9., cp. 14—21 (Antverpiae 1613, 776—806). Ex recentioribus cf. *Chr. Pesch (Zeitschr. f. kath. Th. VII [1883] 456—490).*

[2] De lib. arbitr. III 21, 59. [3] cf. De civ. Dei XI 33.

[4] scripto c. a. 410; similiter ep. 98, 1 ad Bonifatium.

[5] De Gen. ad litt. X 11, 19 sqq. [6] De Gen. ad litt. X 23, 39.

[7] cf. e. g. de pecc. merit. et rem. I 11; De civ. Dei XVI 27.

[8] cf. e. g. c. Jul. Pelag. VI 75; De pecc. merit. et rem. I 10. Plura de hac

Alia causa, quae Augustinum impedivit, ne creatianismi doctrinam suam faceret, in eo quaerenda est, quod Pelagiani acerrimi huius sententiae defensores erant et in ea peccati originalis negationem fundabant. In epistula 190, 6, 22 ad Optatum Augustinus haec Pelagii verba citat: „Si anima, inquit, ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem peccati, sola ergo poenam meretur. Iniustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adae tam antiquum portet peccatum alienum, quia nulla ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum". Teste libro „Praedestinatus"[1] Caelestius, Pelagii intimus amicus, primus traducianismum litteris impugnavit. Peccatum, quia animae, quae a Deo creetur, non a parentibus gignatur, inhaereat, a patre in filios transire non posse. Quare Augustinus scribit: „Cavendum est enim, ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit, vel possit esse anima, . . . cui liberandae a peccato non sit christiana gratia necessaria, . . . si omnes in eo (sc. Adam) peccasse secundum carnem tantum, quae de illo creata est, non etiam secundum animam dictum est: quod usque adeo contrarium est ecclesiasticae fidei"[2]. Haec theologica difficultas Augustinum impedivit, ne creatianismum, philosophice veriorem sententiam, omnino reciperet. Vehementer optat, „ut illa sententia (sc. creatianismus ab Hieronymo defensus) etiam mea sit, sed nondum esse confirmo"[3]. Quare Augustinus, quamvis in posterioribus scriptis traducianismum minus certe defenderet, dum vixit, in hac re incertus haesit. Iterum atque iterum, ut in epistula 166, nihil certi se scire affirmat. Hieronymus, a quo Augustinus petiit, ut se doceret, quid docendum esset, difficilem quaestionem fusius tractare noluit et ille frustra huius rei dissertationem exspectavit. Hieronymo demum defuncto Augustinus epistulam 166 edidit, „ut qui legit, admoneatur aut non quaerere omnino, quomodo detur anima nascentibus, aut certe de re obscurissima eam solutionem quaestionis huius admittere, quae contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnandis"[4]. Brevi post epistulam 166 scripsit Oceano (ep. 180, 2): „Non hoc quaestionem molestam facit, quod movet quosdam, quo modo Deus adulterinis etiam conceptibus iuste animas largiatur, cum bene viventibus et ad Deum fide ac pietate conversis ne propria quidem, quanto minus parentum possint obesse peccata. Sed merito quaeritur, si verum est novas ex nihilo animas singulas singulis nascentibus fieri, quo modo

---

quaestione vide apud *J. Freundorfer, Erbsünde und Erbtod beim Apostel Paulus (Monasterii 1927) 140—146.*

[1] I 88 (PL 53, 618 sq.). [2] De Gen. ad litt. X 11, 19; cf. X 15, 26.

[3] Aug. ep. 166, 8. [4] Retract. II 45.

tam innumerabiles animae parvulorum, quas Deo certum est ante rationales annos, antequam quicquam iustum iniustumve sapere vel capere possint, sine baptismo de corporibus exituras, iuste in damnationem dentur ab illo utique, apud quem non est iniquitas". Anno 421 contra Julianum haeresis Pelagianae defensorem (V 4, 17) scribit de hac quaestione quid sit verum, libentius se discere quam dicere, „ne audeam docere quod nescio". Eadem reservatione iam Optato[1] scripserat: „Scire te volo in tam multis opusculis meis numquam me fuisse ausum de hac quaestione definitam proferre sententiam." Interim iuvenis quidam Vincentius Victor ex Mauretania Caesariensi „nonnullum Augustini opusculum", ubi quaestio de origine animae tangitur et Augustinus nil certi se scire confitetur, probabiliter ep. 143 ad Marcellinum, apud Hispanum quendam presbyterum Petrum invenit et Augustini incertitudine ac cunctatione incontentus contra ipsum ad eundem Petrum duos libros direxit, quos Augustino Renatus quidam monachus misit. Qui fine anni 419 quatuor libros „De anima et eius origine" scripsit, quibus eadem reservatione rem tractavit, ut rationem potius cunctationis suae quam temeritatem praesumptionis ostenderet[2].

4. Quartam quaestionem brevius persolvere licet. Sensum sententiae Jacobi (2, 10): Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus magnam sibi creare difficultatem Augustinus confitetur. Quare de eius intellectu Hieronymum consulere voluit, qui vero illius epistulam laudare contentus fuit, suam autem sententiam reticuit. Optime quidem Augustinus doctrinam Stoicorum de paritate vitiorum refellit. Cum vero sensum ita circumscribit: qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, ideo omnium mandatorum legis fieri reum, quia contra caritatem facita, unde tota lex pendeat (cf. Rom 9, 10), quia nempe caritas omnium bonorum operum radix sit, contextum parum respexisse videtur. Rectius Thomas Aquinas sensum apostoli explicat: „Jacobus loquitur de peccato, non ex parte conversionis, secundum quod peccata distinguuntur . . ., sed loquitur de eis ex parte aversionis, in quantum scilicet homo peccando recedit a legis mandato: omnia autem legis mandata sunt ab uno et eodem, ut ipse ibidem dicit: et ideo idem deus contemnitur in omni peccato. Et ex hac parte dicit, quod qui offendit in uno, factus est omnium reus: quia scilicet in uno peccato peccando incurrit poenae reatum ex hoc, quod contemnit Deum, ex cuius contemptu provenit omnium peccatorum reatus"[3].

[1] Aug. ep. 190, 1, 2. [2] De anima et eius origine II 13, 18.
[3] S. th. I II. q. 73, a. 1 ad 1; cf. II II. q. 5, a. 3. ad 3.

Bibliographia.

S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi epistulae recensuit et commentario critico instruxit Al. Goldbacher, quinque partes (CSEL 34, 1. 2; 44; 57; 58), Vindobonae 1895—1923.

S. Eusebii Hieronymi epistulae, recensuit Is. Hilberg, tres partes (CSEL 54—56), Vindobonae 1910—1918.

S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi opera omnia (MPL 32—47).

Magna pars operum S. Augustini iam in CSEL in lucem edita est. Quae semper secundum hanc recensionem in praesenti opusculo citantur praeter Retractationes.

S. Eusebii Hieronymi opera omnia ed. D. Vallarsi, reimpressa apud MPL 22—30.

Bardenhewer, O., Geschichte der altkirchlichen Literatur, 4 tomi, Friburgi Brisg. ²1914—1924.

Grützmacher, G., Hieronymus, 3 tomi, Lipsiae 1901—1908.

Cavallera, F., Saint Jérôme, pars prima, duo tomi, Lovanii et Parisiis 1922.

Asslaber, P., Die persönlichen Beziehungen der drei großen Kirchenlehrer Ambrosius, Hieronymus und Augustinus (Studien u. Mitteilungen aus d. kirchengeschichtlichen Seminar der Theol. Fak. der Universität in Wien 3), Vindobonae 1908.

Pronberger, N., Beiträge zur Chronologie der Briefe des hl. Hieronymus (Diss. Monacensis), Amberg 1913.

Thimme, W., Augustin. Ein Lebens- und Charakterbild auf Grund seiner Briefe, Gottingae 1910.

Aristeae ad Philocratem epistula cum ceteris de origine versionis LXX interpretum testimoniis, edidit P. Wendland, Lipsiae 1900.

Bindesbøll, S. C. W., Augustinus et Hieronymus de S. Scriptura ex Hebraeo interpretanda disputantes, Hafniae 1825.

Buchwald, [R.,] Augustinus und Hieronymus im Streit über Galater 2, 11ff. (Schlesisches Pastoralblatt 41 [1920] 19—23).

Clausen, H. N., Aurelius Augustinus Hipponensis Sacrae Scripturae interpres, Hauniae 1827.

P. Corssen in Götting. gel. Anzeigen 159 (1897) 416—424.

Dorsch, Aem., St. Augustinus und Hieronymus über die Wahrheit der biblischen Geschichte (Zeitschr. f. kath. Theologie 35 [1911] 421—448; 601—664).

Lagrange, M. J., L'ésprit traditionnel et l ésprit critique, à propos des origines de la Vulgate (Bulletin de Littérature Ecclésiastique I [1899] 37—50).

Luebeck, Aem., Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit, Lipsiae 1872.

Malfatti, E., Una controversia tra S. Agostino e S. Girolamo: il conflitto di Antiochia (Scuola Cattolica 49 s. 5 v. 20 [1921, 1] 321—338; 402—426).

Mausbach, J., Die Ethik des hl. Augustinus, 2 tomi, ²Friburgi Brisg. 1930.

Moehler, J. A., Hieronymus u. Augustinus im Streit über Gal 2, 14 (Gesammelte Schriften u. Aufsätze, hrsg. v. J. J. I. Döllinger I [Ratisbonae 1839] 1—18).
Overbeck, F., Über die Auffassung des Streits des Paulus mit Petrus in Antiochien (Gal 2, 11ff.) bei den Kirchenvätern, Basileae 1877.
Pesch, Chr., Über die Person des Kephas, Gal 2, 11 (Zeitschr. f. kath. Th. VII [1883] 456—490.)
Récéjac, E., De mendacio quid senserit Augustinus, Parisiis 1896.
Schade, L., Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus (Bibl. Studien, hrsg. v. O. Bardenhewer XV 4/5), Friburgi Brisg. 1910.
Stummer, F., Einführung in die lateinische Bibel, Paderborn 1928.
Wendland, P., Zur ältesten Geschichte der Bibel in der Kirche (ZntW I [1900] 267—290).
Alia quaedam de hac re opuscula hic non laudata enumerantur ab Eulogio Nebreda, Bibliographia Augustiniana, Romae 1928, 156—157.

Abbreviationes in apparatu adhibitae.

CSEL = Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum editum consilio et impensis Academiae Litterarum Vindobonensis.
PL = Migne, Patrologia Latina.
PG = Migne, Patrologia Graeca.
ZntW = Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft.
* ante locos S. Scripturae significat textum citatum non plane consonare cum textu nostrae Vulgatae.
add = addit (addunt).
om = omittit (omittunt).

Epistula Augustini 28 (Hier. 56).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis observando atque amplectendo fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus.

Numquam aeque quisquam facie cuilibet innotuit quam mihi tuorum I 1
in Domino studiorum quieta laetitia et vere exercitatio liberalis. Quamquam ergo percupiam omnino te nosse, tamen exiguum quiddam tui minus habeo, praesentiam videlicet corporis. Quam ipsam etiam, posteaquam te beatissimus nunc episcopus, tunc vero iam episcopatu dignus frater Alypius vidit remeansque a me visus est, negare non possum magna ex parte mihi esse relatu eius inpressam et ante reditum, cum te ille ibi videbat, ego videbam, sed oculis eius. Non enim animo me atque illum, sed corpore duos, qui noverit, dixerit, concordia dum taxat et familiaritate fidissima, non meritis, quibus ille antecellit. Quia ergo me primitus communione spiritus, quo in unum nitimur, deinde illius ex ore iam diligis, nequaquam inpudenter quasi aliquis ignotus commendo germanitati tuae fratrem Profuturum, quem nostris conatibus, deinde adiutorio tuo vere profuturum speramus; nisi forte quod talis est, ut ipse tibi per eum fiam commendatior, quam ille per me. Hactenus fortasse scribere debuerim, si esse vellem epistularum sollemnium more contentus. Sed scatet animus in loquelas communicandas tecum de studiis nostris, quae habemus in Christo Jesu, Domino nostro, qui nobis multas utilitates et viatica quaedam demonstrati a se itineris etiam per tuam caritatem non mediocriter ministrare dignatur.

1—4 cf. Aug. ep. 58, 1 *(ed. Goldb.* II 217): Neque enim, si cotidie faciem tuam viderem, notior mihi esses, quam cum interiorem tuum pacis decorem pulchrum ac veritatis luce radiantem in unius tui facti candore conspexi, conspexi et agnovi, agnovi et amavi.

4 sqq. Alypius, Augustini amicus, a. 393 ad loca sancta profectus Hieronymum Bethlehem cognovit; episcopus ecclesiae Tagastenae creatus est a. 394.

8 sq. cf. Aug. Conf. IV 6, 11 (*ed. P. Knöll* [C S E L 33, 73]): Ego sensi animam meam et animam illius (amici) unam fuisse in duobus corporibus.

13 sq. cf. p. 36, 13 sq.; 41, 20—25.

112 Petimus ergo et nobiscum petit omnis Africanarum ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui Graece Scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atque operam inpendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus tales illos viros et unum potissimum, quem tu libentius in tuis litteris sonas. De vertendis autem in linguam Latinam sanctis litteris canonicis laborare te nollem nisi eo modo, quo Job interpretatus es, ut signis adhibitis,

5 tu *om Hilberg.*

1—5 Inter Graecorum Patrum opera, quae Hier. in linguam Latinam vertit, ad interpretationem S. Scripturae pertinent homiliae Origenis in Is, Jer, Ezech, Cantic, evang. Lucae, „liber interpretationis Hebraicorum nominum" sub nomine Philonis vel Origenis traditus et „liber de situ et nominibus locorum Hebraicorum" Eusebii Caes. In propriis quoque librorum sacrorum interpretationibus Hier. ex commentariis Graecorum, imprimis Origenis, hausit; cf. p. 55, 20 sqq.

5 Origenes, „quem, post apostolos, ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negabit" (Hier. praef. libri de nominibus Hebr., PL 23, 772); „iuxta Didymi videntis sententiam alter post apostolos ecclesiarum magister" (PL 25, 583). A Rufino ob has laudes in praefatione versionis librorum ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ Origenista reprehensus (cf. Hier. ep. 80, 1, *ed. Hilberg* II 103) Hieronymus in ep. 84, 2 ad Pammachium et Oceanum (*ibidem* II 121 sq.) scribit: „Laudavi interpretem, non dogmatisten, ingenium, non fidem, philosophum, non apostolum. Quodsi volunt super Origene meum scire iudicium, legant in Ecclesiasten commentarios (PL 23, 1009—1116), replicent in epistulam ad Ephesios tria volumina (PL 26, 439—554), et intellegent me semper eius dogmatibus contra isse"; cf. ep. 82, 7 ad Theophilum (*ed. Hilberg* II 113 sq.), ep. 62 ad Tranquillinum (*ed. Hilberg* I 583 sq.), Apol. adv. libr. Ruf. III 27 (PL 23, 477) et infra p. 36, 21 sqq. In operibus post controversiam Origenisticam cum Johanne Hieros. et Rufino Hieronymus interpretationem allegoristicam magis ac magis aversatus est et Origenem acerrime reprehendit (cf. e. g. Tractatum c. Orig. de visione Esaiae *ed. G. Morin / Anecdota Maredsolana* III*3, 1903, 103—122)*, Comment. in Jer [PL 24, 679—900]). Cf. *L. Schade, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus (Friburgi 1910) 95—132.* Hieronymi de Origene iudicia ex diversis temporibus composuit *Cavallera (II 115—127)*, qui recte ait: „Il est certain que si Jérome a parfois tacitement corrigé diverses interprétations d'Origène . . ., il n'a mis, jusqu'au moment où éclate la controverse, aucune sordine à ses éloges, même du point de vue dogmatique" (l. c. 116). Origenis errores in opere ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ Hier. composuit in ep. 124 ad Avitum ex anno 408 vel 409 (*ed. Hilberg* III 96—117).

5—29, 14 cf. p. 41, 29 sqq.; 69, 12—70, 13. Post adventum in Palaestinam (a. 386) Hier. in bibliotheca ecclesiae Caesariensis Origenis Hexapla vidit (cf. *G. Morin, Anecdota Maredsolana III 1 [Maredsoli* 1895*] 12)*. Secundum recensionem versionis Septuaginta in quinta Hexaplorum columna contentam Hier. sequentibus annis magnam partem Vet. Test. revidit allatis signis criticis Origensis, asteriscis sc. et obelis. Huius vero recensionis solummodo Psalterium („Ps. Gallicanum") et liber Job in lucem prodierunt. Reliqui libri „ob fraudem cuiusdam" (Hier. ep. 134, 2, infra p. 125, 14) perierunt. Ad versionem textus hexaplarici cf. Hier. ep. 106 ad Sunniam et Fretelam (*ed. Hilberg* II 247—289), *D. De Bruyne (ZntW XXVIII [1929] 1—13) et Fr. Stummer 85—90.* Ad quaestionem, utrum Hier. omnes Vet. Test. libros exceptis deuterocanonicis sec. rec. hexaplaricam reviderit, cf. *Grützmacher II 94—97, De Bruyne (Rev. Bénéd. XXXI [1914/19] 229—236) et A. Vaccari (Civ. Cattolica 1915 IV 291—297).*

quid inter hanc tuam et Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet, appareat. Satis autem nequeo mirari, si aliquid adhuc in Hebraeis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguae peritissimos fugerit. Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii vel spiritus maiore concordia, quam si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis praeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendam existimo. Illi me plus movent, qui, cum posteriores interpretarentur et verborum locutionumque Hebraearum viam atque regulas mordacius, ut fertur, tenerent, non solum inter se non consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quae tanto post eruenda et prodenda remanerent. Si enim obscura sunt, te quoque in eis falli posse creditur; si manifesta, illos in eis falli potuisse non creditur. Huius igitur rei pro tua caritate expositis causis certum me facias obsecraverim.

Legi etiam quaedam scripta, quae tua dicerentur, in epistulas III 3
apostoli Pauli, quarum ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur. Ibi patrocinium mendacii susceptum esse vel abs te, tali viro, vel a quopiam, si alius illa scripsit, fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur — si forte refelli possunt — ea, quae me movent. Mihi enim videtur exitiosissime credi aliquod in libris sanctis esse mendacium, id est eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia quippe quaestio

---

1 sq. Cum traditione ecclesiastica Aug. inspirationem et mirum originem versionis Septuaginta tenuit; cf. Prolegomena p. 9 sqq.

4 sq. cf. Aug. de civ. Dei XVIII 42 (CSEL 40, 2, 335 sq.): Traditur sane tam mirabilem ac stupendum planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut, cum ad hoc opus separatim singuli sederint, in nullo verbo, quod idem significaret et tantundem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet; sed tamquam unus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt unum erat, quoniam re vera spiritus erat unus in omnibus; de doctr. christ. II 22; IV 15 (PL 34, 46. 96); de consensu ev. II 66, 128 (CSEL 43, 230); quaest. de Gen. 169 (*ed. J. Zycha* [CSEL 28, 2, 88 sq.]).

6 sq. Utrum sc. haec. concordia naturalis an supernaturalis fuerit.

8—11 Aquila, Theodotio, Symmachus, inter quos Aquila nimis serviliter vertit; cf. Orig. ep. 2 ad Africanum (PG 11, 52): δουλεύων τῇ ἑβραικῇ λέξει; Hier. ep. 57, 11 ad Pammachium (*ed. Hilberg* I 523 sq.): Aquila autem, proselytus et contentiosus interpres, qui non solum verba, sed etymologias verborum transferre conatus est, iure proicitur a nobis. Aug. de eo testatur: „Aquila, quem interpretem Judaei ceteris anteponunt" (de civ. Dei XV 23 [CSEL 40, 2, 112]); cf. de doctr. chr. II 22 (PL 34, 46), supra p. 14. 12—14 cf. p. 69, 12 sqq.

15 sqq. Hier. comm. in Pauli ep. ad Gal. 2, 11 sqq. (PL 26, 338—342); cf. p. 39, 9 sqq.; 17, n. 7.

20 sqq. cf. p. 75, 12—18; 76, 20—26; 77, 7—11; ep. 147, 14. 40 (*ed. Goldb.* III 286. 314 sq.).

23 sqq. cf. p. 86, 16 sq.

est, sitne aliquando mentiri viri boni, et alia quaestio est, utrum scriptorem Sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit; immo vero non alia, sed nulla quaestio est. Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.

4 Si enim mentiebatur apostolus Paulus, cum apostolum Petrum obiurgans diceret: Si tu, cum sis Judaeus, gentiliter et non Judaice vivis, quem ad modum gentes cogis iudaizare? et recte illi videbatur Petrus fecisse, quem non recte fecisse et dixit et scripsit, ut quasi animos tumultuantium deleniret, quid respondebimus, cum exsurrexerint perversi homines prohibentes nuptias, quos futuros ipse praenuntiavit, et dixerint totum illud, quod idem apostolus de matrimoniorum iure firmando locutus est, propter homines, qui dilectione coniugum tumultuari poterant, fuisse mentitum, scilicet non quod hoc senserit, sed ut illorum placaretur adversitas? Non opus est multa commemorare. Possunt enim videri etiam de laudibus Dei esse officiosa mendacia, ut apud homines pigriores dilectio eius ardescat. Atque ita nusquam certa erit in sanctis libris castae veritatis auctoritas. Nonne adtendimus eundem apostolum cum ingenti cura commendandae veritatis dicere: Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quia testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit? Si quis huic diceret: „Quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod, etiam si falsum sit, ad laudem Dei maxime pertinet", nonne huius detestatus insaniam, quibus posset, verbis et significationibus in lucem penetralia sui cordis aperiret clamans non minore aut fortasse etiam maiore scelere in Deo laudari falsitatem quam veritatem vituperari? Agendum est igitur, ut ad

3—7 cf. Aug. de mendac. 43 (*ed. Zycha*, [CSEL 41, 465]): Tanto porro caecitas hominum animos occupavit, ut eis parum sit, si dicamus quaedam mendacia non esse peccata, ... eoque perducti sunt defendendo mendacium, ut etiam primo illo genere, quod est omnium sceleratissimum (cf. c. 25, p. 444—446), dicant usum fuisse apostolum Paulum. . . . Cum enim volunt Petrum ab errore atque ab illa, in quam inciderat, viae pravitate defendere, ipsam religionis viam, in qua salus est omnibus, confracta et comminuta Scripturarum auctoritate conantur evertere; cf. p. 62, 16 sq.; 86, 5—15. — Ad Aug. sententiam de „capitali mendacio, quod fit in doctrina religionis" cf. *E. Récéjac 30—35.*

9 sq. *Gal 2, 14. 12 cf. 1 Tim 4, 1—4.

12 sq. ut Manichaei; cf. Aug. de moribus eccl. cath. et de mor. Manich. I 77—79 (PL 32, 1342—1344); c. Faust. Manich. XV 7 (CSEL 25, 1, 428—432); p. 76, 27 sqq. 13 sqq. cf. 1. Cor. 7, 8—17.

22 sqq. *1. Cor. 15, 14 sq.

cognitionem divinarum Scripturarum talis homo accedat, qui de sanctis libris tam sancte et veraciter existimet, ut nolit aliqua eorum parte delectari per officiosa mendacia, potiusque id, quod non intellegit, transeat, quam cor suum praeferat illi veritati. Profecto enim, cum hoc dicit, credi sibi expetit et id agit, ut divinarum Scripturarum auctoritatibus non credamus.

Et ego quidem qualibuscumque viribus, quas Dominus suggerit, omnia illa testimonia, quae adhibita sunt adstruendae utilitati mendacii, aliter oportere intellegi ostenderem, ut ubique eorum firma veritas doceretur. Quam enim testimonia mendacia esse non debent, tam non debent favere mendacio. Sed hoc intellegentiae relinquo tuae. Admota enim lectioni diligentiore consideratione multo id fortasse facilius videbis quam ego. Ad hanc autem considerationem coget te pietas, qua cognoscis fluctuare auctoritatem divinarum Scripturarum, ut in eis, quod vult quisque, credat, quod non vult, non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros, per quos nobis haec ministrata sunt, in scripturis suis officiose potuisse mentiri; nisi forte regulas quasdam daturus es, quibus noverimus, ubi oporteat mentiri et ubi non oporteat. Quod si fieri potest, nullo modo mendacibus dubiisque rationibus id explices quaeso nec me onerosum aut inpudentem iudices per humanitatem veracissimam Domini nostri. Nam, ut non dicam nulla, certe non magna culpa meus error veritati favet, si recte in te potest veritas favere mendacio.

Multa alia cum sincerissimo corde tuo loqui cuperem et de christiano IV 6
studio conferre, sed huic desiderio meo nulla epistula sat est. Uberius id possum per fratrem, quem miscendum et alendum dulcibus atque utilibus sermocinationibus tuis misisse me gaudeo. Et tamen, quantum vellem, nec ipse — quod eius pace dixerim — forsitan capit, quamquam nihilo me illi praetulerim. Ego enim me fateor tui capaciorem, sed ipsum video fieri pleniorem, quo me sine dubitatione antecellit, et posteaquam redierit, quod Domino adiuvante prosperatum iri spero, cum eius pectoris abs te cumulati particeps fuero, non est inpleturus, quod in me adhuc vacuum erit atque avidum sensorum tuorum. Ita fiet, ut ego etiam tunc egentior sim, ille copiosior. Sane idem frater aliqua scripta nostra fert secum, quibus legendis si dignationem adhibueris, etiam sinceram fraternamque severitatem adhibeas quaeso. Non

3—6 cf. Aug. de Gen. ad litt. I 18—21 (CSEL 28, 1, 26—31).

21—23 p. 36, 18—20.

34—36 cf. p. 38, 23—26; 39, 24 sq.; 46,8—11; 48, 26—34; 92, 20—24; de trinit. II 9, 16 (PL 42, 855); III 1, 2 (ibidem 869); ep. 193, 10 (*ed. Goldb.* IV 174): Neque enim debemus indociles esse doctores . . . cum his quae scripsimus ita nostra vel aliorum exerceatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.

enim aliter intellego, quod scriptum est: Emendabit me iustus in misericordia et arguet me; oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum, nisi quia magis amat obiurgator sanans quam adulator unguens caput. Ego autem difficillime bonus iudex lego, quod scripserim, sed aut timidior recto aut cupidior. Video etiam interdum vitia mea, sed haec malo audire a melioribus, ne, cum me recte fortasse reprehendero, rursus mihi blandiar et meticulosam potius mihi videar in me quam iustam tulisse sententiam.

Epistula Augustini 40 (Hier. 67).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis observando atque amplectendo fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus.

I 1 Habeo gratiam, quod pro subscripta salutatione plenam mihi epistulam reddidisti, sed breviorem multo, quam ex te vellem sumere, tali viro, a quo, tempora quanta libet occupet, nullus sermo prolixus est. Quamquam itaque nos negotiorum alienorum eorumque saecularium curis circumstemur ingentibus, tamen epistulae tuae brevitati facile non ignoscerem, nisi cogitarem, quam paucioribus verbis meis redderetur. Quare adgredere, quaeso, istam nobiscum litterariam conlocutionem, ne multum ad nos disiungendos liceat absentiae corporali, quamquam simus in Domino spiritus unitate coniuncti, etiam si ab stilo quiescamus et taceamus. Et libri quidem, quos de horreo Dominico elaborasti, paene te totum nobis exhibent. Si enim propterea te non novimus, quia faciem corporis tui non vidimus, hoc modo nec ipse te nosti, nam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es, nisi quia nosti animum tuum, et nos eum non mediocriter novimus in litteris tuis, in quibus benedicimus Domino, quod tibi et nobis omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit.

I 2 Liber quidam tuus inter cetera non diu est ut venit in manus nostras. Quae sit eius inscriptio, nescimus adhuc; non enim hoc codex ipse, ut

1 sqq. *Ps 140, 5. 14 sq. Haec Hieronymi epistula periit; cf. p. 2. 22 cf. Eph 4, 3. 24 sq. cf. Col 2, 1.

31 Hier. „De viris inlustribus“ sive „De scriptoribus ecclesiasticis“ (PL 23, 601—720); cf. p. 54, 31—55, 12. Hunc librum, quo Hier. contra Celsum, Porphyrium, Julianum, „rabidos adversus Christum canes eorumque sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores,“ ostendit „quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint et adornaverint, ut desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere“ (PL 23, 603), scripsit a. 393.

adsolet, in liminari pagina praetendebat. „Epitaphium" tamen appellari dicebat frater, apud quem inventus est. Quod ei nomen tibi placuisse ut inderetur, crederemus, si eorum tantum vel vitas vel scripta ibi legissemus, qui iam defuncti essent. Cum vero multorum et eo tempore, quo scribebatur, et nunc usque viventium ibi commemorentur opuscula, miramur, cur hunc ei titulum vel inposueris vel inposuisse credaris. Sane utiliter a te conscriptum eundem librum satis adprobamus.

In expositione quoque epistulae Pauli apostoli ad Galatas invenimus III 3
aliquid, quod nos multum moveat. Si enim ad Scripturas Sanctas
admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quae tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosae falsitatis obteratur inprobitas? Statim enim, ut protuleris, si aliter sapit, qui contra nititur, dicit illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum. Ubi enim hoc non poterit, si potuit in ea narratione, quam exorsus apostolus ait: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, credi adfirmarique mentitus eo loco, ubi dixit de Petro et Barnaba: Cum viderem, quia non recte ingrediuntur ad veritatem evangelii? Si enim recte illi ingrediebantur, iste mentitus est; si autem ibi mentitus est, ubi verum dixit? An ubi verum dixisse videbitur, ubi hoc dixerit, quod lector sapit, cum vero contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officioso mendacio deputabitur? Non enim deesse poterant causae, cur existimetur non solum potuisse, verum etiam debuisse mentiri, si huic regulae conceditur locus. Non opus est hanc causam multis verbis agere praesertim apud te, cui sapienter providenti dictum sat est. Nequaquam vero mihi adrogaverim, ut ingenium tuum divino dono aureum meis obolis ditare contendam, nec est quisquam te magis idoneus, qui opus illud emendet.

---

1 sq. Originem huius erronei tituli A. Feder eo explicat, quod Hier. fortasse operis exemplaria sine titulo edidit et quod in fine libri in compluribus codicibus Epitaphium quoddam nominatur (Nepotiani scilicet, Hier. ep. 60; cf. p. 55, 8—10), quod „frater quidam" librum ipsum „De viris inlustribus" esse putavit. Cum O. Gebhardo Feder duas editiones operis ab Hieronymo ipso factas esse censet *(Biblica I [1920] 500—513)*.

9 cf. Hier. comm. in Pauli ep. ad Gal 2, 11 sqq. (PL 26, 338—342) et supra p. 29, 15 sqq.

15—21 cf. Aug. de mendacio 43 (*ed. Zycha*, [CSEL 41, 465]): In quo non vident non solum mendacii crimen, sed etiam periurii se obicere in ipsa doctrina pietatis, hoc est in epistula, in qua praedicat evangelium; ibi quippe ait, priusquam ista narraret: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.

17 Gal 1, 20. 18—20 *Gal 2, 14.

26 sq. cf. Terent. Phormio 541.

27—29 cf. p. 49, 24—27.

IV 4 Neque enim a me docendus es, quo modo intellegatur, quod idem dicit: Factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrifacerem, et cetera, quae ibi dicuntur conpassione misericordi, non simulatione fallaci. Fit enim tamquam aegrotus, qui ministrat aegroto, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quem ad modum sibi serviri vellet, si ipsi aegrotaret. Nam utique Judaeus erat, Christianus autem factus non Judaeorum sacramenta reliquerat, quae convenienter ille populus et legitime tempore, quo oportebat, acceperat. Ideoque suscepit ea celebranda, cum iam Christi esset apostolus, sed ut doceret non esse perniciosa his, qui ea vellent, sicut a parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum in Christum credidissent, non tamen in eis iam constituerent spem salutis, quoniam per Dominum Jesum salus ipsa, quae illis sacramentis significabatur, advenerat. Ideoque gentibus, quod insuetos a fide revocarent onere gravi et non necessario, nullo modo inponenda esse censebat.

Quapropter non ideo Petrum emendavit, quod paternas traditiones observaret — quod si facere vellet, nec mendaciter nec incongrue faceret; quamvis enim iam superflua, tamen solita non nocerent —, sed quoniam gentes cogebat iudaizare, quod nullo modo posset, nisi ea sic ageret, tamquam adhuc etiam post Domini adventum necessaria saluti forent. Quod vehementer per apostolatum Pauli veritas dissuasit. Nec apostolus Petrus hoc ignorabat, sed id faciebat timens

1—16 = 62, 25—63, 12. 2 *1 Cor 9, 20. 3 sq. p. 35, 26—28; Aug. de mendac. 42 (*ed. Zycha*, [CSEL 41, 463]): Non eum mentiendo, sed conpatiendo fecisse recte intellegitur, ut tanta caritate cum eis liberandis ageret, ac si ipse in eo malo esset, a quo illos sanare cupiebat. Similiter: Contra mendac. 26 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 506]): Quod ergo ait: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, conpatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tamquam ille, cui vult subvenire, quando tanta misericordia subvenit, quanta sibi subveniri vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tamquam ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat sicut illum. Cf. Chrysost. ad 1 Cor 9, 23 (PG 61, 185). 9—11 = p. 83, 10—14. 10—14 cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 514 sq.]): Neque enim ita natis et ita institutis noxia erant ista, quamvis iam non essent significandis futuris necessaria ... Si autem his, qui ex circumcisione venerant talibusque sacramentis adhuc dediti erant, ultro vellent, sicut Timotheus, conferre congruentiam, non prohiberentur; verum si in huiusmodi legis operibus putarent suam spem salutemque contineri, tamquam a certa pernicie vetarentur. De mendac. 8 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 423, 4—18]).

14—16 cf. Act 15, 28. 17—19 = p. 66, 5—7. 12 sq. cf. Gal 2, 14. 10 sq. cf. Aug. comm. ad Gal 2, 11 (PL 35, 2113 sq.): Petrus autem cum venisset Antiochiam, obiurgatus est a Paulo, non quia servabat consuetudinem Judaeorum, in qua natus atque educatus est, (quamquam apud gentes eam non servaret), sed obiurgatus est, quia gentibus eam volebat imponere, cum vidisset quosdam venisse a Jacobo... Timens ergo eos, qui adhuc putabant in illis observationibus salutem constitutam, segregabat se a gentibus et simulate illis consentiebat ad imponenda gentibus illa onera servitutis. 23 sq. Gal 2, 12.

eos, qui ex circumcisione erant. Ita et ipse vere correctus est et Paulus vera narravit, ne Sancta Scriptura, quae ad fidem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii tota dubia nutet et fluctuet. Non enim potest aut oportet litteris explicari, quanta et quam inexplicabilia mala consequantur, si hoc concesserimus; posset autem opportune minusque periculose demonstrari, si coram inter nos conloqueremur.

Hoc ergo Judaeorum Paulus dimiserat, quod malum habebant, et 6
in primis illud, quod ignorantes Dei iustitiam et suam iustitiam volentes constituere iustitiae Dei non sunt subiecti; deinde, quod post passionem et resurrectionem Christi dato ac manifestato sacramento gratiae secundum ordinem Melchisedech adhuc putabant vetera sacramenta non ex consuetudine sollemnitatis, sed ex necessitate salutis esse celebranda, quae tamen si numquam fuissent necessaria, infructuose atque inaniter pro eis Machabaei martyres fierent; postremo illud, quod praedicatores gratiae Christianos Judaei tamquam hostes legis persequebantur. Hos atque huius modi errores et vitia dicit se damna et stercora arbitratum, ut Christum lucrifaceret, non observationes legis, si more patrio celebrarentur, sicut ab ipso celebratae sunt sine ulla salutis necessitate, sicut Judaei celebrandas putabant, aut fallaci simulatione, quod in Petro reprehenderat. Nam si propterea illa sacramenta celebravit, quia simulavit se Judaeum, ut illos lucrifaceret, cur non etiam sacrificavit cum gentibus, quia et his, qui sine lege erant, tamquam sine lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret, nisi quia et illud fecit ut natura Judaeus et hoc totum dixit, non ut fallaciter se fingeret esse, quod non erat, sed ut misericorditer ita subveniendum esse sentiret, ac si ipse in eodem errore laboraret, non scilicet mentientis astu, sed conpatientis affectu? Sicut eo ipso loco generaliter intulit: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, ut sequens conclusio: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, ad hoc referenda intellegatur, ut cuiusque infirmitatem tamquam in se ipso miseratus appareat. Non enim et cum diceret: Quis infirmatur et ego non infirmor?,

---

2 sq. cf. p. 30, 2—7. 8—19 cf. p. 66, 18—31. 9 sq. *Rom 10, 3. 12 cf. Ps 109, 4; Hebr 6, 20. 15 sq. 2 Macc 7. 18 sq. cf. Phil 3, 8. 19—22 cf. p. 66, 33—67, 17. 22—28 = p. 67, 19—26. cf. c. mendac. 26 (*ed. Zycha* 506): Nam si propterea, quia dixit: Factus sum Judaeis tamquam Judaeus et his, qui sub lege erant tamquam sub lege (1 Cor 9, 20), ideo putandus est mendaciter suscepisse legis veteris sacramenta, debuit et gentium idolatriam eodem modo mentiendo suscipere, qui dixit etiam his, qui sine lege erant, tamquam sine lege (1 Cor 9, 21) se factum, ut eos lucrifaceret: quod utique non fecit.

22—25 cf. 1 Cor 9, 20 sq. 25—29 cf. p. 34, 3 sq.; 68, 2 sq.; 89, 1 sqq. (ep. 82, 3, 26—29). 29—31 *1 Cor 9, 22. 33 sq. 2 Cor 11, 29.

infirmitatem alterius simulasse potius quam condoluisse volebat intellegi.

7 Quare arripe, obsecro te, ingenuam et vere Christianam cum caritate severitatem ad illud opus corrigendum atque emendandum et παλινῳδίαν, ut dicitur, cane. Incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christianorum quam Helena Graecorum. Pro ista enim fortius nostri martyres adversus Sodomam quam pro illa illi heroes adversus Troiam dimicaverunt. Neque hoc ego dico, ut oculos cordis recipias, quos absit ut amiseris, sed ut advertas, quos cum habeas sanos et vigiles, nescio qua dissimulatione avertisti, ut non intenderes, quae consequantur adversa, si semel creditum fuerit posse honeste ac pie scriptorem divinorum librorum in aliqua sui operis parte mentiri.

V 8 Scripseram iam hinc aliquando ad te epistulam, quae non perlata est, quia nec perrexit, cui perferendam tradideram. Ex qua illud mihi suggestum est, cum ista dictarem, quod in hac quoque praetermittere non debui, ut, si alia est sententia tua eademque est melior, timori meo libenter ignoscas. Si enim aliter sentis verumque tu sentis — nam nisi verum sit, melius esse non potest —, ut non dicam nulla, certe non magna culpa meus error veritati favet, si recte in quoquam veritas potest favere mendacio.

VI 9 De Origene autem quod rescribere dignatus es, iam sciebam non tantum in ecclesiasticis litteris, sed in omnibus recta et vera, quae invenerimus, adprobare atque laudare, falsa vero et prava inprobare atque reprehendere. Sed illud de prudentia doctrinaque tua desiderabam et adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa eius errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. In libro etiam, quo cunctos, quorum meminisse potuisti, scriptores ecclesiasticos et eorum scripta commemorasti, commodius, ut arbitror, fieret, si nominatis eis, quos haeresiotas esse nosti — quando ne ipsos quidem praetermittere voluleris —, subiungeres etiam, in quibus cavendi essent, quamquam non-

4 sq. cf. Isocr. 10, 64; Plato, Phaedr. 20; Iren., adv. haer. I 23, 2; Tertull., de anima 34; Amm. Marcellin. XVIII, 5, 4; Macrob., Saturn. VII, 5, 4. *A. Otto, Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer (Lipsiae 1890) 262.*

Stesichorus poeta Sicilianus saec. 6. a. Chr. n. ab Helena ob convicium obcaecatus esse dicitur. Carmen laudis et satisfactionis postea facienti (παλινωδίαν ἄδοντι) lumen oculorum restitutum est. *Cf. W. Schmid und O. Stählin, Geschichte d. griech. Literatur, pars I, tom. I (Monachii 1929) 469—489;* infra p. 39, 10 sqq.; 45, 28—32; 68, 15. 6 sq. cf. Apc 11, 8.

8 cf. Eph 1, 18. 13 sq. cf. p. 41, 20—25. 18—20 = p. 31, 21—23.

21 sqq. In epistula Hieronymi perdita (cf. p. 32, 14 sqq.); cf. Hier. ep. 61 ad Vigilantium (*ed. Hilberg* I 575—582), ep. 62 ad Tranquillinum (*ibidem* 583—584), ep. 85, 4 ad Paulinum presbyterum (*ed. Hilberg* II 137): ne me putes in modum rustici balatronis cuncta Origenis reprobare, quae scripsit, . . . sed tantum prava dogmata repudiare. Cf. supra p. 28, 5, n.

26—28 Hier., De viris inlustribus; cf. p. 32, 31 sqq.

nullos etiam praeterieris, quod scire cuperem, quo consilio factum sit. Aut, si illud volumen forte onerare noluisti, ut commemoratis haereticis non adderes, in quibus eos catholica damnarit auctoritas, quaeso, ne grave sit litterario labori tuo, quo non mediocriter per Domini nostri gratiam in Latina lingua sanctorum studia et accendisti et adiuvisti — id quod tibi per humilitatem meam fraterna caritas indicit —, ut, si occupationes tuae sinent, omnium haereticorum perversa dogmata, qui rectitudinem fidei Christianae usque ad hoc tempus vel inpudentia vel pervicacia depravare conati sunt, uno libello breviter digesta edas in notitiam eorum, quibus aut non vacat propter alia negotia aut non valent propter alienam linguam tam multa legere atque cognoscere. Diu te rogarem, nisi hoc soleret esse indicium minus de caritate praesumentis. Hunc interea Paulum fratrem nostrum in Christo multum commendo benignitati tuae, cuius in nostris regionibus existimationi bonum coram Deo testimonium perhibemus.

Epistula Hieronymi 103 (Aug. 39).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus in Christo salutem.

Anno praeterito per fratrem nostrum Asterium hypodiaconum I 1
dignationi tuae epistulam miseram promptum reddens salutationis officium, quam tibi arbitror redditam. Nunc quoque per sanctum fratrem meum Praesidium diaconum obsecro primum, ut memineris mei, dein, ut baiulum litterarum habeas commendatum et mihi scias germanissimum et, in quibuscumque necessitas postularit, foveas atque sustentes, non quo aliqua re Christo tribuente indigeat, sed quod bonorum amicitias avidissime expetat et se in his coniungendis maximum putet beneficium consecutum. Cur autem ad occidentem navigaverit, ipso poteris narrante cognoscere.

Nos in monasterio constituti variis hinc inde fluctibus quatimur et I 2
peregrinationis molestias sustinemus. Sed credimus in eo, qui dixit: Confidite, ego vici mundum, quod ipso tribuente et praesule contra hostem diabolum victoriam consequamur. Sanctum et venerabilem fratrem nostrum papam Alypium ut meo obsequio salutes,

6—12 Petitionibus diaconi Quodvultdei obsequens Augustinus ipse ultimis vitae suae annis brevem librum „De haeresibus" scripsit (PL 42, 21—50).

20 sq. Idem Asterius Augustino rettulit Hieronymi ep. 102; cf. p. 39, 5—7

30—33 Probabiliter Hier. his verbis ad controversiam suam cum Johanne episcopo Hierosolymitano alludit. Ad quam cf. *Cavallera I 193—227.*

32 Joh. 16, 33. 33 sq. cf. p. 27, 4 sqq.

obsecro. Sancti fratres, qui nobiscum in monasterio Domino servire festinant, oppido te salutant. Incolumem te et memorem mei Christus, Deus noster, tueatur omnipotens, domine vere sancte et suscipiende papa.

Epistula Augustini 67 (Hier. 101).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino carissimo et desiderantissimo et honorando in Christo fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus in Domino salutem.

I 1 Audivi pervenisse in manus tuas litteras meas; sed quod adhuc rescripta non merui, nequaquam inputaverim dilectioni tuae; aliquid procul dubio inpedimenti fuit. Unde agnosco a me Dominum potius deprecandum, ut tuae voluntati det facultatem mittendi, quod rescripseris, nam rescribendi iam dedit, quia, cum volueris, facillime poteris.

II 2 Etiam hoc ad me sane perlatum utrum quidem crederem, dubitavi, sed hinc quoque tibi aliquid utrum scriberem, dubitare non debui. Hoc autem breve est: suggestum caritati tuae a nescio quibus fratribus mihi dictum est, quod librum adversus te scripserim Romamque miserim. Hoc falsum esse noveris. Deum nostrum testor hoc me non fecisse. Sed si forte aliqua in aliquibus scriptis meis reperiuntur, in quibus aliter aliquid quam tu sensisse reperiar, non contra te dictum, sed quod mihi videbatur, a me scriptum esse puto te debere cognoscere aut, si cognosci non potest, credere. Ita sane hoc dixerim, ut ego non tantum paratissimus sim, si quid te in meis scriptis moverit, fraterne accipere, quid contra sentias, aut de correctione mea aut de ipsa tua benivolentia gavisurus, verum etiam hoc a te postulem ac flagitem.

3 O si licuisset etsi non cohabitante saltem vicino te in Domino perfrui ad crebrum et dulce conloquium! Sed quia id non est datum, peto, ut hoc ipsum, quod in Christo, quam possimus, simul simus, conservare studeas et augeri ac perfici et rescripta quamvis rara non spernere. Saluta obsequio meo sanctum fratrem Paulinianum et omnes fratres, qui tecum ac de te in Domino gaudent. Memor nostri exaudiaris a Domino in omni sancto desiderio, domine carissime et desiderantissime et honorande in Christo frater.

---

34 in Christo] merito *Hilberg.*

---

15 ad cp. II 2 cf. p. 44, 21—27. 19 sq. cf. p. 48, 13 sq.; 92, 3—8. 20—23 cf. p. 40, 2 sq.; 45, 21—28; 46, 8—11.

23—26 cf. p. 31, 34—36; 39, 24 sq.; 47, 29—31.

31 Paulinianus erat frater Hieronymi cum ipso Bethlehem degens, anno 401 ex Dalmatia eo reversus.

Epistula Hieronymi 102 (Aug. 68).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus im Domino salutem.

In ipso profectionis articulo sancti filii nostri Asterii hypodiaconi 1
beatitudinis tuae ad me litterae pervenerunt, quibus satis facis te contra parvitatem meam librum Romam non misisse. Hoc nec ego factum audieram, sed epistulae cuiusdam quasi ad me scriptae per fratrem nostrum Sisinnium diaconum huc exemplaria pervenerunt, in qua hortaris me, ut παλινῳδίαν super quodam apostoli capitulo canam et imiter Stesichorum inter vituperationem et laudes Helenae fluctuantem, ut, qui detrahendo oculos perdiderat, laudando receperit. Ego simpliciter fateor dignationi tuae, licet stilus et ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi, ne forte me respondente laesus iuste expostulares, quod probare ante debuissem tuum esse sermonem et sic rescribere. Accessit ad moram sanctae et venerabilis Paulae longa infirmitas. Dum enim languenti multo tempore adsidemus, paene epistulae tuae vel eius, qui sub tuo nomine scripserat, obliti sumus memores illius versiculi: Musica in luctu importuna narratio. Itaque si tua est epistula, aperte scribe vel mitte exemplaria veriora, ut absque ullo rancore stomachi in Scripturarum disputatione versemur et vel nostrum emendemus errorem vel alium frustra reprehendisse doceamus.

Absit autem a me, ut quicquam de libris beatitudinis tuae adtingere 2
audeam. Sufficit enim mihi probare mea et aliena non carpere. Ceterum optime novit prudentia tua unumquemque in suo sensu ababundare et puerilis esse iactantiae, quod olim adulescentuli facere

5 sq. cf. p. 37, 20 sq. 6—16 cf. p. 38, 15—26. 10—12 cf. p. 36, 4—8; 45, 29—32.

13—16 cf. p. 48, 3—5. 13 ἐπιχειρήματα: terminus artis oratoricae veterum pro argumentandi modo; cf. *R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer (² Lipsiae 1885) 195 sq.* 14—16 cf. p. 47, 15—18. 15 cf. p. 51, 19 sq.

16 sqq. Paula senior, nobilis vidua Romana, cum filia Eustochio et Hieronymo a. 385 in orientem profecta monasterium Bethlehemitanum fundavit ac rexit. Hieronymus, cui carissima erat, ipsi plura opera dedicavit. Morte eius (26. 1. 404) vehementissime doluit; cf. ep. 99, 2 ad Theophilum (*ed. Hilberg* II 212) et „Epitaphium S. Paulae" (ep. 108, *ed. Hilberg* II 306—351); Pallad., Hist. Laus. 36. 41 (*ed. C. Butler [Cantabrigiae 1904]* 108. 128); *R. Génier, Sainte Paule (² Parisiis 1917).*

20 sq. Eccli 22, 6. 20—23 cf. p. 45, 4—6; 47, 18—20. 24 sq. cf. p. 31, 34—36; 38, 23—26; 46, 8 sq. 25—40,5 cf. p. 44, 22—27.

26 sq. cf. Rom 14, 5; p. 124, 15 sq. 27—40, 1 cf. p. 45, 6—9; 75, 2—4.

consueverant, accusando inlustres viros suo nomini famam quaerere. Nec tam stultus sum, ut diversitate explanationum tuarum me laedi putem, quia nec tu laederis, si nos contraria senserimus. Sed illa est vera inter amicos reprehensio, si nostram peram non videntes aliorum iuxta Persium manticam consideremus. Superest, ut diligas diligentem et in Scripturarum campo iuvenis senem non provoces. Nos nostra habuimus tempora et cucurrimus, quantum potuimus. Nunc te currente et longa spatia transmittente nobis debetur otium simulque, ut cum venia et honore tuo dixerim, ne solus mihi de poetis aliquid proposuisse videaris, memento Daretis et Entelli et vulgaris proverbii, quod bos lassus fortius figat pedem. Tristes haec dictavimus. Utinam mereremur conplexus tuos et conlatione mutua vel doceremus aliqua vel disceremus!

3 Misit mihi temeritate solita maledicta sua Calpurnius cognomento Lanarius, quae ad Africam quoque studio eius didici pervenisse. Ad quae breviter ex parte respondi et libelli eius vobis misi exemplaria latius opus, cum opportunum fuerit, primo missurus tempore. In quo illud cavi, ne in quoquam existimationem laederem Christianam, sed tantum, ut delirantis inperiti mendacium ac vecordiam confutarem. Memento mei, sancte ac venerabilis papa. Vide, quantum te diligam, ut ne provocatus quidem voluerim respondere nec credam tuum esse, quod in altero forte reprehenderem. Frater communis suppliciter te salutat.

---

2 sq. cf. p. 38, 20—22; 45, 28. 5 cf. Pers., Sat. 4, 24.

5 sq. cf. p. 45, 18—20; 73, 28 sq. 6 iuvenis senem: cf. p. 46, 22; 73, 4.

10 cf. Verg., Aen. V, 368—484. Versus iambicus; cf. *C. Zander, Versus italici antiqui (Lund 1890) CLXXII.* 10 sq. cf. p. 47, 8—10; 49, 4—7; 51, 16 sq.

11 sq. = p. 49, 10—12; 50, 24—28; 75, 26 sq.

14—19 T. Rufinus, Hieronymi quondam amicus, ex a. 394 vero adversarius in controversia Origeniana; cf. ep. 70, 6 ad. Magnum (*ed. Hilberg* I 708): qui forsitan propter amorem Historiarum Sallustii Calpurnius cognomento Lanarius sit; Apol. adv. Ruf. I 30 (PL 23, 421); III 28 (ibid. 478): Calpurniani (i. e. Rufini amici); aliter III 32 (ibid. 480 sq.): tibi Calpurnioque respondi. Calpurnius, quem Sallustius (Hist. fragm. I 95 *ed. B. Maurenbrecher*) commemorat, Numidiae consul, ob avaritiam in bello Jugurthino proditor rei publicae designatur. Eius vero nomen erat Calp. Bestia. Calp. Lanarius a Plutarcho (Sertor. VII 7) nominatus Julium Salinatorem proditorem occidit. Hos duos Hier. confundere videtur. — Inimicitiae inter duos prius amicissimos usque ad mortem Rufini (a. 410) perduraverunt. Hieronymus numquam destitit Rufinum acribus conviciis (scorpio, serpens, Grunnius) carpere; cf. *Cavallera II 131—135.* Acerrime se invicem impugnaverunt annis 397—402, ex quo tempore Rufinus in versione operis Origenis Περὶ ἀρχῶν Hieronymum Origenistam declaravit; cf. Hier. ep. 81 et 84 (*ed. Hilberg* II 106 sq.; 121—134). Post damnationem Origenis (a. 400) Rufinus „Apologiam in Hieronymum" (PL 21, 541—624) infestissimam scripsit, ad quam hic non minus acriter tribus libris „Apologiae adversus libros Rufini" (PL 23, 397—492) respondit. Ad Rufini „Apologiam" Hier. praesenti in loco alludit. Ad hanc litem cf. *J. Brochet, St. Jérome et ses ennemis (Parisiis 1906); Grützmacher III 1—94; Cavallera I 193—286; II 36—43; 131—135.* 17—19 cf. p. 49, 31—50, 13.

22 sq. *Contra Goldbacher et Hilberg lego cum Cavallera (I 300, n. 1)* „frater com-

Epistula Augustini 71 (Hier. 104).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino venerabili et desiderabili sancto fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus in Domino salutem.

Ex quo coepi ad te scribere ac tua scripta desiderare, numquam I 1
mihi melior occurrit occasio, quam ut per Dei servum ac ministrum fidelissimum mihique carissimum mea tibi adferretur epistula, qualis est filius noster Cyprianus diaconus. Per hunc certe ita spero litteras tuas, ut certius in hoc rerum genere quicquam sperare non possim. Nam nec studium in petendis rescriptis memorato filio nostro deerit nec gratia in promerendis nec diligentia in custodiendis nec alacritas in perferendis nec fides in reddendis. Tantum, si aliquo modo mereor, adiuvet Dominus et adsit cordi tuo et desiderio meo, ut fraternam voluntatem nulla voluntas maior impediat.

Quia ergo duas iam epistulas misi, nullam autem tuam postea re- 2
cepi, easdem ipsas rursus mittere volui credens eas non pervenisse. Quod si et pervenerunt ac fortasse tuae potius ad me pervenire minime potuerunt, ea ipsa scripta, quae iam misisti, iterum mitte, si forte servata sunt; sin minus, rursus dicta, quod legam, dum tamen his respondere ne graveris, quod iam diu est, ut expecto. Primas etiam, quas ad te adhuc presbyter litteras praeparaveram mittendas per quendam fratrem nostrum Profuturum, qui postea collega nobis factus iam ex hac vita migravit nec eas tunc ipse perferre potuit, quia continuo, dum proficisci disponit, episcopatus sarcina detentus ac deinde brevi defunctus est, etiam nunc mittere volui, ut scias, in tua conloquia quam olim inardescam et quam vim patiar, quod a me tam longe absunt sensus corporis tui, per quos adire possit ad animum tuum animus meus, mi frater dulcissime et in Domini membris honorande.

In hac autem epistula hoc addo, quod postea didicimus, Job ex I 3
Hebraeo te interpretatum, cum iam quandam haberemus interpre-

munis", *non* „frater Communis", *sc. Hieronymi frater Paulinianus, qui salutationi Augustini* (ep. 67, 2, 3, p. 38) *respondet;* cf. ep. 32, 2 ad Marcellam (*ed. Hilberg* I 252): Albinam communem matrem valere cupio; ep. 142 (202), 2 (*infra* p. 128, 8 sq.): sancti filii communes Albina, Pinianus et Melania.

15 epp. 28 et 40; cf. p. 53, 19—21. 20—25 cf. p. 27, 13 sq.; 36, 13 sq. 27 sq. cf. ep. 205, 1 ad Consentium (*ed. Goldb.* IV 323 sq.), Phil 1, 8.

29—42,6 cf. p. 28, 7—29, 2. 29 ad cp. 2, 3: Versio libri Job ex Hebraeo circa a. 393 perfecta est (cf. Hier. ep. 49, 4 ad Pammachium, *ed. Hilberg* I 349), prior ex textu hexaplarico circa a. 390. — Sensum signorum criticorum ab Hieronymo ex Origenis Hexaplis sumptorum Augustinus propter suam de inspiratione versionis Septuaginta sententiam non intellexit; cf. Hieronymi responsum ironicum p. 68, 26—69, 9 et Prolegomena p. 12 sq.

tationem tuam eius prophetae ex Graeco eloquio versam in Latinum, ubi tamen asteriscis notasti, quae in Hebraeo sunt et in Graeco desunt, obeliscis autem, quae in Graeco inveniuntur et in Hebraeo non sunt, tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis ad verba singula stellas significantes videamus eadem verba esse in Hebraeo, in Graeco autem non esse. Porro in hac posteriore interpretatione, quae versa est ex Hebraeo, non eadem verborum fides occurrit. Nec parum turbat cogitantem, vel cur in illa prima tanta diligentia figantur asterisci, ut minimas etiam particulas orationis indicent deesse codicibus Graecis, quae sunt in Hebraeis, vel cur in hac altera, quae ex Hebraeis est, neglegentius hoc curatum sit, ut hae eaedem particulae locis suis invenirentur. Aliquid inde exempli gratia ponere volui, sed mihi ad horam codex defuit, qui ex Hebraeo est. Verum tamen, quia praevolas ingenio, non solum quid dixerim, verum etiam quid dicere voluerim, satis, ut opinor, intellegis, ut causa reddita, quod movet, edisseras.

4 Ego sane mallem Graecas potius canonicas te nobis interpretari Scripturas, quae Septuaginta interpretum perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a Graecis ecclesiis Latinae ecclesiae dissonabunt, maxime quia facile contradictor convincitur Graeco prolato libro, id est linguae notissimae. Quisquis autem in eo, quod ex Hebraeo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit et falsi crimen intenderit, vix aut numquam ad Hebraea testimonia pervenitur, quibus defendatur obiectum. Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas et Graecas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit, quia etiam consulti Hebraei possunt aliud respondere, ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere, sed tamen quo iudice, mirum si potueris invenire.

III 5 Nam quidam frater noster episcopus cum lectitari instituisset in ecclesia, cui praeest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum et tot aetatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe maxime Graecis arguentibus et inflammantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus — Oea quippe civitas erat — Judaeorum testimonium fla-

19 erit *om Hilberg.* 35 Oea] ea *Codd, Edd priores;* Oea *Goldb. et Hilberg ex coniectura Reinharti.*

29—43, 5 = p. 71, 22—72, 6. Agitur de arbore, sub qua Jonas sedens Ninive interitum exspectabat (cf. p. 72, 7—24). In veteribus monumentis semper fere cucurbita praesentatur; cf. *A. Fournier (Rev. d'hist. des religions XXXI[1895] 254—256); C. M. Kaufmann, Handbuch d. christl. Archäologie* ³ *(Paderbornae 1913) 320—322.*

33—35 Civitatis Oeae (hodie Tripolis) episcopus iam in concilio Carthaginiensi

gitare. Utrum autem illi inperitia an malitia hoc esse in Hebraeis codicibus responderunt, quod et Graeci et Latini habebant atque dicebant? Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere volens post magnum periculum non remanere sine plebe. Unde etiam nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse et vide, hoc quale sit in eis litteris, quae non possunt conlatis usitatarum linguarum testimoniis emendari.

Proinde non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod evangelium IV 6
ex Graeco interpretatus es, quia — et paene in omnibus — nulla offensio est, cum Scripturam Graecam contulerimus. Unde, si quisquam veteri falsitati contentiosus favet, prolatis conlatisque codicibus vel docetur facillime vel refellitur. Et si quaedam rarissima merito movent, quis tam durus est, qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit? Quid tibi autem videatur, cur in multis aliter se habeat Hebraeorum codicum auctoritas, aliter Graecorum quae dicitur Septuaginta, vellem dignareris aperire. Neque enim parvum pondus habet illa, quae sic meruit diffamari et qua usos apostolos non solum res ipsa indicat, sed etiam te adtestatum esse memini. Ac per hoc plurimum profueris, si eam Scripturam Graecam, quam Septuaginta operati sunt, Latinae veritati reddideris, quae in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit, et ita suspecta, ne in Graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferre aut probare

11 favet] faverit *Hilberg.* 12 rarissima] rarissime *Hilberg.*

a. 256 habito commemoratur. In finibus Tripolitanis religionem Christianam potissimum per Graecos propagatam esse plurimosque ibi Judaeos fuisse hoc narratione conprobatur. Cf. *P. Monceaux (Rev. des études juives XLIV [1902] 1—28); idem (Rev. Archéologique, s. 4 III [1904] 354—373); P. Romanelli (Atti della Pontificia Accademia Romana di archeologia, ser. 3, Rendiconti IV [Romae 1926] 155—166); N. Slouschz, Hebraeo-Phéniciens et Judéo-Berbères (Parisiis 1908) 266—307;* Tert., adv. Jud. (PL 2, 595—662); Hier., ep. 129, 4 ad Dardanum (*ed. Hilberg* III 169—171). Saepe Oea nominatur in Apulei Apologia *(ed. R. Helm, Lipsiae 1905).*

8—14 cf. p. 71, 11—16. — Revisio textus Latini evangeliorum Damasi papae mandato facta primum Hieronymi circa textum S. Scripturae opus fuit et ante Damasi mortem (a. 384) finita est. Ad hanc rem cf. *H. J. Vogels, Handbuch der neutest. Textkritik (Monasterii 1923) et eiusdem Vulgatastudien (Monasterii 1928).* De hoc opere Hieronymus ipse loquitur in praefatione in quatuor evangelia (epistula ad Damasum [PL 29, 525—530]). Obtrectatoribus laboris sui respondet Hieronymus in epp. 26 et 27 (*ed. Hilberg* I 220—226). 9 sq. De Augustini peritia linguae Graecae cf. *Clausen 30—40 et O. Rottmanner, Geistesfrüchte aus der Klosterzelle (Monachii 1908) 61—66.*

18 sq. cf. Prolegomena p. 10; Hier., Apol. adv. Ruf. II 34 (PL 23, 456): Nec hoc dicimus, quod Septuaginta interpretes suggillemus, sed quod apostolorum et Christi maior sit auctoritas, et ubicumque Septuaginta ab Hebraeo non discordant, ibi apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse; ubi vero discrepant, id posuisse in Graeco, quod apud Hebraeos didicerant.

dubitemus. Brevem putabam futuram hanc epistulam, sed nesio quo modo ita mihi dulce factum est in ea progredi, ac si tecum loquerer. Sed obsecro te per Dominum, ne te pigeat ad omnia respondere et praestare mihi, quantum potueris, praesentiam tuam.

Epistula Hieronymi 105 (Aug. 72).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus.

I 1 Crebras ad me epistulas dirigis et saepe conpellis, ut respondeam cuidam epistulae tuae, cuius ad me, ut ante iam scripsi, per Sisinnium diaconum exemplaria pervenerunt absque subscriptione tua et quae primum per fratrem Profuturum, secundo per quendam alium te misisse significas; et interim Profuturum retractum de itinere et episcopum constitutum veloci morte subtractum, illum, cuius nomen retices, maris timuisse discrimina et navigationis mutasse consilium. Quae cum ita sint, satis mirari nequeo, quo modo ipsa epistula et Romae et in Italia haberi a plerisque dicatur et ad me solum non pervenerit, cui soli missa est, praesertim cum idem frater Sisinnius inter ceteros tractatus tuos dixerit eam se non in Africa, non apud te, sed in insula Hadriae ante hoc ferme quinquennium repperisse.

2 De amicitia omnis tollenda suspicio est et sic cum amico quasi cum altero se loquendum. Nonnulli familiares mei et vasa Christi, quorum Hierosolymis et in sanctis locis permagna copia est, suggerebant non simplici a te animo factum, sed laudem atque rumusculos et gloriolam populi requirente, ut de nobis cresceres, ut multi cognoscerent te provocare, me timere, te scribere ut doctum, me tacere ut inperitum et tandem repperisse, qui garrulitati meae modum inponeret. Ego autem, ut simpliciter fatear, dignationi tuae primum idcirco respondere nolui, quia tuam liquido epistulam non credebam nec, ut vulgi de quibusdam proverbium est, litum melle gladium; deinde illud cavebam, ne episcopo communionis meae viderer procaciter respondere et aliqua in reprehendentis epistula reprehendere, praesertim cum quaedam in illa haeretica iudicarem;

---

1 dubitemus] dubitetur *Hilberg.*
10 Sisinnium] fratrem Sisinnium *Hilberg.*

---

10 sq. cf. p. 39, 8 sq. 11—14 cf. p. 41, 20—25.
14 cf. p. 36, 13 sq. 14 sq. Haec verba ex Augustini epistula deperdita esse videntur. 22—27 cf. p. 92, 8 sq.
27—29 cf. p. 39, 13—16; 40, 21. 32 sq. cf. p. 63, 20—64, 15.

ad extremum, ne tu iure expostulares et diceres: „Quid enim? 113
Epistulam meam videras et notae tibi manus in subscriptione signa deprehenderas, ut tam facile amicum laederes et alterius malitiam in meam verteres contumeliam?“ Igitur, ut ante iam scripsi, aut mitte eandem epistulam tua subscriptam manu aut senem latitantem in cellula lacessere desine. Sin autem tuam vis vel ostentare vel exercere doctrinam, quaere iuvenes et disertos et nobiles, quorum Romae dicuntur esse quam plurimi, qui possint et audeant tecum congredi et in disputatione Sanctarum Scripturarum iugum cum episcopo ducere. Ego quondam miles nunc veteranus et tuas et aliorum debeo laudare victorias, non ipse rursus effeto corpore dimicare, ne, si me ad scribendum frequenter inpuleris, illius recorder historiae, quod Hannibalem iuveniliter exultantem Quintus Maximus patientia sua fregerit.

Omnia fert aetas, animum quoque. Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim
Iam fugit.

Et — ut magis de Scripturis Sanctis loquar — Berzelli ille Galaadites regis David beneficia omnesque delicias iuveni delegans filio ostendit senectutem haec appetere non debere nec oblata suscipere.

Quod autem iuras te adversum me librum non scripsisse neque 4
Romam misisse, quem non scripseris, sed, si forte aliqua in tuis scriptis reperiantur, quae a meo sensu discrepent, non me a te laesum, sed a te scriptum, quod tibi rectum videbatur, quaeso, ut me patienter audias. Non scripsisti librum. Et quo modo mihi reprehensionis a te meae per alios scripta delata sunt? Cur habet Italia, quod tu non scripsisti? Qua ratione poscis, ut rescribam ad ea, quae scripsisse te denegas? Nec tam hebes sum, ut, si diversa senseris, me laesum putem. Sed si mea comminus dicta reprehendas et rationem scriptorum expetas et, quae scripserim, emendare conpellas et ad παλινῳδίαν provoces et oculos mihi reddas, in hoc laeditur amicitia, in hoc necessitudinis iura violantur. Ne videamur certare pueriliter et fautoribus invicem vel detractoribus nostris tribuere materiam contendendi, haec scribo, quia te pure et Christiane diligere cupio nec quicquam in mea mente retinere, quod distet a labiis. Non enim convenit, ut ab adulescentia usque ad hanc aetatem in monasteriolo cum sanctis fratribus labore

4 sq. cf. p. 39, 20—24. 5 sq. cf. p. 73, 5 sq.
6—9 cf. p. 39, 27—40, 1; 75, 2—4.
10 sq. cf. p. 73, 2—4. 12—13 T. Liv. XXII 12—18.
14—17 Verg. Buc. IX 51—54; cf. p. 40, 5.
18—20 cf. 2 Sam 19, 31—40. 21—24 cf. p. 38, 19—23.
28 sq. cf. p. 38, 20—22; 40, 2 sq. 29—31 cf. p. 36, 4, 10—12.
31—35 cf. p. 90, 31—38. 32—35 cf. p. 124, 20—23.

desudans aliquid contra episcopum communionis meae scribere audeam et eum episcopum, quem ante coepi amare quam nosse, qui me primus ad amicitias provocavit, quem post me orientem in Scripturarum eruditione laetatus sum. Igitur aut tuum negato librum, si forte non tuus est, et desine flagitare rescriptum ad ea, quae non scripsisti, aut, si tuus est, ingenue confitere, ut, si in defensione mei aliqua scripsero, in te culpa sit, qui provocasti, non in me, qui respondere compulsus sum.

III 5 Addis praeterea te paratum esse, ut, si quid me in tuis scriptis moverit aut corrigere voluero, fraterne accipias et non solum mea in te benevolentia gavisurum, sed, ut hoc ipsum faciam, deprecaris. Rursum dico, quod sentio: provocas senem, tacentem stimulas, videris iactare doctrinam. Non est autem aetatis meae putari malivolum erga eum, cui magis favere debeo. Et si in evangeliis ac prophetis perversi homines inveniunt, quod nitantur reprehendere, miraris, si in tuis libris et maxime in Scripturarum expositione, quae vel obscurissimae sunt, quaedam a recti linea discrepare videantur? Et hoc dico, non quod in operibus tuis quaedam reprehendenda iam censeam. Neque enim lectioni eorum umquam operam dedi nec horum exemplariorum apud nos copia est praeter „Soliloquiorum" tuorum libros et quosdam commentariolos in Psalmos, quos si vellem discutere, non dicam a me, qui nihil sum, sed a veterum Graecorum docerem interpretationibus discrepare. Vale, mi amice carissime, aetate fili, dignitate parens, et hoc a me rogatus observa, ut, quicquid mihi scripseris, ad me primum facias pervenire.

8—11 cf. p. 31, 34—36; 39, 23—26.

19 Meditationes ab Augustino noctu in prandio Cassiciaco anno 386 de quaestionibus philosophicis habitae (PL 32, 689—904).

19—22 Enarrationes in Ps 1—32 ab A. anno 396 dictatae (PL 36, 1—300). *A. Allgeier (Theol. und Glaube 18 [1926] 682, u. 7) et D. De Bruyne (ZntW* XXVIII *[1929] 8—10)* primi cognoverunt, Hieronymum in ep. 106, 57 ad Sunniam et Fretelam hoc opus Augustini, „disertissimi istius temporis interpretis" (*ed. Hilberg* II 277, 3 sq.), impugnare.

22 sq. cf. p. 40, 6; 73, 4 sq.

22—24 cf. p. 93, 21—25.

Epistula Augustini 73 (Hier. 110).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino venerando et desiderantissimo fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus in Domino salutem.

Quamvis existimem, antequam istas sumeres, venisse in manus 1 1
tuas litteras meas, quas per Dei servum, filium nostrum Cyprianum diaconum misi, quibus certissime agnosceres meam esse epistulam, cuius exemplaria illuc pervenisse commemorasti — unde iam me arbitror rescriptis tuis velut Entellinis grandibus atque acribus caestibus tamquam audacem Dareta coepisse pulsari atque versari —, nunc tamen eis ipsis respondeo litteris tuis, quas mihi per sanctum filium nostrum Asterium mittere dignatus es, in quibus multa in me comperi tuae benivolentissimae caritatis et rursus quaedam nonnullius a me tuae offensionis indicia. Itaque, ubi mulcebar legens, ibi continuo feriebar hoc sane vel maxime admirans, quod, cum te dicas exemplaribus litterarum mearum ideo temere non putasse credendum, ne forte te respondente laesus iuste expostularem, quod probare ante debuisses meum esse sermonem et sic rescribere, postea iubeas, si mea est epistula, aperte me scribere aut mittere exemplaria veriora, ut absque ullo rancore stomachi in Scripturarum disputatione versemur. Quo pacto enim possumus in hac disputatione sine rancore versari, si me laedere paras? Aut, si non paras, quo modo ego te non laedente abs te laesus iuste expostularem, quod probare ante debuisses meum esse sermonem et sic rescribere, hoc est et sic laedere? Nisi enim rescribendo laesisses, ego iuste expostulare non possem. Proinde, cum ita rescribis, ut laedas, quis locus nobis relinquitur in disputatione Scripturarum sine ullo rancore versandi? Ego quidem absit ut laedar, si mihi certa ratione volueris et potueris demonstrare illud ex epistula apostoli vel quid aliud Scripturarum Sanctarum te verius intellexisse quam me. Immo vero absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero te docente instructus aut emendante correctus.

Verum tamen tu, mi frater carissime, nisi te putares laesum scriptis 2
meis, non me putares laedi posse rescriptis tuis. Nullo enim modo id de te opinatus fuero, quod non te arbitrans laesum sic tamen rescribis,

---

5—7 ep. 71 cum duabus prioribus; cf. p. 41, 5 sqq. 7 sq. cf. p. 39, 8—16.
8—10 cf. p. 40, 10 sq.; 51, 16 sq. 10—12 cf. Hier. ep. 102; p. 39 sq.
15—18 cf. p. 39, 14—16. 18—20 cf. p. 39, 20—22; 45, 4—6.
20—22 cf. p. 51, 22—25.
29—31 cf. p. 31, 34—36; 38, 23—26; 39, 24 sq.; 48, 26—34; 92, 20—24.

ut laedas. Aut si te non sic rescribente ego propter nimiam stultitiam meam laedi posse putatus sum, hoc ipso laesisti plane, quod de me ita sensisti. Sed nullo modo tu me, quem numquam talem expertus es, temere talem crederes, qui litterarum mearum exemplaribus, etiam cum stilum meum nosses, temere credere noluisti. Si enim non inmerito vidisti me iuste expostulaturum fuisse, si temere crederes esse litteras meas, quae non essent meae, quanto iustius expostularem me ipsum temere putatum talem, qualem me non nosset, qui putavisset! Nequaquam ergo ita prolabereris, ut te non rescribente, quo laederer, me tamen existimares nimis insipientem etiam tali tuo rescripto laedi potuisse.

113 Restat igitur, ut laedere me rescribendo disponeres, si certo documento meas esse illas litteras nosses. Atque ita, quia non credo, quod iniuste me laedendum putares, superest, ut agnoscam peccatum meum, quod prior te illis litteris laeserim, quas meas esse negare non possum. Cur itaque conor contra fluminis tractum ac non potius veniam peto? Obsecro ergo te per mansuetudinem Christi, ut, si laesi te, dimittas mihi nec me vicissim laedendo malum pro malo reddas. Laedes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis. Nam si ea in me reprehenderis, quae reprehendenda non sunt, te laedis magis quam me, quod absit a moribus et sancto proposito tuo, ut hoc facias voluntate laedendi culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veredica scis non esse culpandum. Ac per hoc aut benivolo corde argues, etiam si caret delicto, quod arguendum putas, aut paterno affectu mulceas, quem adicere nequeas. Potest enim fieri, ut tibi aliud videatur, quam veritas habet, dum tamen abs te aliud non fiat, quam caritas habet. Et ego amicissimam reprehensionem gratissime accipiam, etiam si reprehendi non meruit, quod recte defendi non potest, aut agnoscam simul et benivolentiam tuam et culpam meam et, quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inveniar.

4 Quid ergo fortasse dura sed certe salubria verba tua tamquam caestus Entelli pertimescam? Caedebatur ille, non curabatur, et ideo vincebatur, non sanabatur. Ego autem si medicinalem correptionem tuam tranquillus accepero, non dolebo. Si vero infirmitas velut humana vel mea, etiam cum veraciter arguor, non potest nisi aliquantulum contristari, melius tumor capitis dolet, dum curatur, quam, dum ei parcitur, non sanatur. Hoc est enim, quod acute vidit, qui dixit utiliores

28 defendi non] defendi *Hilberg*. 36 dum curatur] cum curatur *Hilberg*.

3—5 cf. p. 39, 13—16. 11 sqq. cf. p. 38, 20—23; 40, 2 sq.; 45, 21—23. 13 sq. cf. p. 38, 19 sq.; 92, 3 sq. 16 sq. cf. 2 Cor 10, 1. 17 cf. Rom 12, 17; 1 Thess 5, 15; 1 Petr 3, 9. 31—33 cf. p. 40, 10; 47, 8—10. 37 sq. cf. Catonem apud Cic., Lael. 24, 90 (Catonis dicta memorabilia n. 69 *H. Jordan*).

esse plerumque inimicos iurgantes quam amicos obiurgare metuentes. Illi enim, dum rixantur, dicunt aliquando vera, quae corrigamus, isti autem minorem, quam oportet, exbibent iustitiae libertatem, dum amicitiae timent exasperare dulcedinem. Quapropter, etsi bos, ut tibi videris, lassus senectute forte corporis, non vigore animi tamen, in area dominica fructuoso labore desudans, ecce sum: si quid perperam dixi, fortius fige pedem, non mihi esse debet molestum pondus aetatis tuae, dum conteratur palea culpae meae.

Proinde illud, quod in extremo epistulae tuae posuisti, cum magni desiderii suspirio vel lego vel recolo. „Utinam", inquis, „mererem complexus tuos et conlatione mutua vel doceremus aliqua vel disceremus!" Ego autem dico: Utinam saltem propinquis terrarum locis habitaremus, ut, si non possunt misceri nostra conloquia, litterae possent esse crebriores! Nunc vero tanto locorum intervallo absumus a sensibus nostris, ut de illis verbis apostoli ad Galatas iuvenem me ad tuam sanctitatem scripsisse meminerim et ecce iam senex nondum rescripta meruerim faciliusque ad te exemplaria epistulae meae perverenerint nescio qua occasione praeveniente quam ipsa epistula me curante. Homo enim, qui eam tunc acceperat, nec ad te pertulerit nec ad me rettulerit. Tantae mihi autem in litteris tuis, quae in manus nostras venire potuerunt, apparent litterae, ut nihil studiorum meorum mallem, si possem, quam inhaerere lateri tuo. Quod ego quia non possum, aliquem nostrorum in Domino filiorum erudiendum nobis ad te mittere cogito, si etiam de hac re tua rescripta meruero. Nam neque in me tantum scientiae Scripturarum divinarum est aut esse iam poterit, quantum inesse tibi video, et, si quid in hac re habeo facultatis, utcumque inpendo populo Dei. Vacare autem studiosis diligentius, quam populi audiunt, instruendis propter ecclesiasticas occupationes omnino non possum.

Nescio qua scripta maledica super tuo nomine ad Africam perve- III 6
nisse nescimus. Accepimus tamen, quod dignatus es mittere illis respondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui inter tam caras familiaresque personas cunctis paene ecclesiis notissimo amicitiae vinculo copulatas tantum malum extitisse discordiae. Et tu quidem quantum tibi modereris quantumque teneas aculeos indignationis tuae, ne reddas maledictum pro maledicto, satis in tuis litteris

19 pertulerit . . . rettulerit] pertulit . . . retulit *Hilberg.*

4—8 cf. p. 40, 10 sq. 10—12 = p. 40, 11 sq.; cf. 50, 24—28; 75, 26 sq. 14—16 cf. p. 29, 15 sqq. Ep. Aug. 28 scripta est a. 394 vel 395, praesens ep. 73 a. 404, i. e. quinquagesimo Augustini vitae anno. 16—19 cf. 44, 15—20. 19 sq. cf. p. 37, 13—15. 24—27 cf. p. 33, 27—29. 27—29 cf. ep. 139, 3 (*ed. Goldb.* III 152 sq.). 30—50, 13 cf. p. 40, 14—19. 36 cf. 1 Petr 3, 9.

eminet. Verum tamen si, eas ipsas cum legissem, contabui dolore, et obrigui timore, quid de me illa facerent, quae in te scripsit, si in manus meas forte venissent. Vae mundo ab scandalis! Ecce fit, ecce prorsus impletur, quod veritas ait: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Quae sibi enim iam fida pectora tuto refundantur? In cuius sensus tota se proiciat secura dilectio? Quis denique amicus non formidetur quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum et Rufinum hoc, quod plangimus, exoriri? O misera et miseranda condicio! O infida in voluntatibus amicorum scientia praesentium, ubi nulla est praescientia futurorum! Sed quid hoc alteri de altero gemendum putem, quando ne ipse quidem sibi homo est notus in posterum? Novit enim utcumque — vix forte —, nunc qualis sit; qualis autem postea futurus sit, ignorat.

7 Haec porro non tantum scientia, qualis quisque sit, verum etiam praescientia, qualis futurus sit, si est in sanctis et beatis angelis, quo modo fuerit diabolus beatus aliquando, cum adhuc angelus bonus esset, sciens futuram iniquitatem suam et sempiternum supplicium, omnino non video. De qua re, si tamen eam nosse opus est, vellem audire, quid sentias. Vide, quid faciant terrae ac maria, quae nos corporaliter dirimunt. Si haec epistula mea, quam legis, ego essem, iam mihi diceres, quod quaesivi; nunc vero quando rescribes? Quando mittes? Quando perveniet? Quando accipiam? Et tamen utinam quandoque fiat, quod tam cito fieri non posse, quam volumus, quanta possumus tolerantia sustinemus! Unde recurro ad illa verba epistulae tuae dulcissima sanctique desiderii plenissima et ea facio vicissim mea: „Utinam mereremur conplexus tuos et conlatione mutua vel doceremus aliqua vel disceremus", si tamen esse ullo modo posset, quod ego te docerem!

8 In his autem verbis non iam tuis tantum, sed etiam meis ubi delector et reficior et ipso quamvis pendente et non adtingente utriusque nostrum desiderio non parva ex parte consolor, ibi rursus acerrimis dolorum stimulis fodior, dum cogito inter vos, quibus Deus hoc ipsum, quod uterque nostrum optavit, largum prolixumque concesserat, ut coniunctissimi et familiarissimi mella Scripturarum Sanctarum pariter lamberetis, tantae amaritudinis inrepsisse perniciem quando non, ubi non, cui non homini formidandam, cum eo tempore, quo abiectis iam

32 dolorum] doloris *Hilberg.*

3 sq. Mt 18, 7. 4 sq. *Mt 24, 12.

14—18 Angelos bonos visione beatifica res futuras praescire Augustinus affirmat De civ. Dei IX 22 (*ed. Hoffmann* [CSEL 40, 1, 439 sq.]); quam doctrinam nemo priorum Patrum tenuit.

26 sq. = p. 40, 11 sq.; 49, 10—12.

36 sqq. Damaso papa mortuo (a. 384) Hieronymus „de Babylone Hierosolyma

sarcinis saecularibus iam expediti Dominum sequebamini et in ea terra vivebatis simul, in qua Dominus humanis pedibus ambulans: Pacem meam, inquit, do vobis, pacem meam relinquo vobis, viris aetate maturis et in eloquio Domini habitantibus vobis accidere potuit. Vere temptatio est vita humana super terram. Ei mihi, qui vos alicubi simul invenire non possum! Forte, ut moveor, ut doleo, ut timeo, prociderem ad pedes vestros, flerem, quantum valerem, rogarem, quantum amarem, nunc unumquemque vestrum pro se ipso, nunc utrumque pro alterutro et pro aliis ac maxime infirmis, pro quibus Christus mortuus est, qui vos tamquam in theatro vitae huius cum magno sui periculo spectant, ne de vobis ea conscribendo spargatis, quae quoniam concordantes delere non poteritis, concordare nolitis aut quae concordes legere timeatis, ne iterum litigetis.

Verum dico caritati tuae nihil me magis quam hoc exemplum 9
tremuisse, cum quaedam ad me in epistula tua legerem tuae indignationis indicia, non tam illa de Entello et de bove lasso, ubi mihi hilariter iocari quam iracunde minari visus es, quam illud, quod serio te scripsisse satis apparet — unde supra locutus sum plus fortasse, quam debui, sed non plus, quam timui —, ubi aisti: „Ne forte laesus iuste expostulares." Rogo te, si fieri potest, ut inter nos quaeramus et disseramus aliquid, quo sine amaritudine discordiae corda nostra pascantur, fiat. Si autem non possum dicere, quid mihi emendandum videatur in scriptis tuis, nec tu in meis nisi cum suspicione invidiae aut laesione amicitiae, quiescamus ab his et nostrae vitae salutique parcamus. Minus certe adsequatur illa, quae inflat, dum non offendatur illa, quae aedificat. Ego me longe esse sentio ab illa perfectione, de qua scriptum est: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sed plane in Dei misericordia puto me posse facile abs te petere veniam, si quid offendi. Quod mihi aperire debes, ut, cum te audiero, lucreris fratrem tuum. Neque enim, quia hoc propter longinquitatem terrarum non potes facere inter me et te, propterea debes sinere errare me. Prorsus quod ad ipsas res, quas nosse volumus, adtinet, si quid veri me tenere vel scio vel credo vel puto, in quo tu aliter sentis, quantum dat Dominus, sine tua iniuria conabor adserere.

---

regressus est" (ep. 45, 6). Ex anno 386 in monasterio Bethlehemitano S. Scripturarum studiis operam dedit. 3 * Joh 14, 27.

5 sq. * Job 7, 1. 9 sq. cf. 1 Cor 8, 11. 10 sq. cf. 1 Cor 4, 9.

16 sq. cf. p. 40, 10 sq.; 47, 8—10. 19 sq. cf. p. 39, 15. 20—22 cf. Aug. Conf. IV 9 (*ed. Knöll* [CSEL 33, 75]). 22—25 cf. Aug. ep. 155, 1 ad Macedonium (*ed. Goldb.* III 431): „Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis; quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest"; infra p. 91, 15—19; 93, 25—29.

23 sq. cf. p. 44, 21—27. 25 sq. cf. 1 Cor 8, 1. 27 sq. Jac 3, 2.

28—30 cf. p. 74, 19 sq. 30 sq. cf. Mt 18, 15.

Quod autem pertinet ad offensionem tuam, cum te indignatum sensero, nihil aliud quam veniam deprecabor.

Nec omnino arbitror te suscensere potuisse, nisi aut hoc dicerem, quod non debui, aut non sic dicerem, ut debui, quia nec miror minus nos scire invicem, quam scimur a coniunctissimis et familiarissimis nostris. In quorum ego caritatem, fateor, facile me totum proicio praesertim fatigatum scandalis saeculi et in ea sine ulla sollicitudine requiesco. Deum quippe illic esse sentio, in quem me securus proicio et in quo securus requiesco. Nec in hac mea securitate crastinum illud humanae fragilitatis incertum, de quo superius gemui, omnino formido. Cum enim hominem Christiana caritate flagrantem eaque mihi fidelem amicum factum esse sentio, quicquid ei consiliorum meorum cogitationumque committo, non homini committo, sed illi, in quo manet, ut talis sit; Deus enim caritas est et, qui manet in caritate, in Deo manet. Quem si deseruerit, tantum faciat necesse est dolorem, quantum manens fecerat gaudium. Verum tamen ex amico intimo factus inimicus quaerat sibi potius, quod fingat astutus, non inveniat, quod prodat iratus. Hoc autem unusquisque facile adsequitur non occultando, quod fecerit, sed non faciendo, quod occultari velit. Quod misericordia Dei bonis piisque concedit, ut inter inimicos quoslibet futuros liberi securique versentur, aliena peccata sibi commissa non prodant, quae prodi timeant, ipsi nulla committant. Cum enim falsum quid a maledico fingitur, aut omnino non creditur aut certe integra salute sola fama vexatur. Quod autem malum perpetratur, hostis est intimus, etiam si nullius intimi loquacitate aut lite vulgetur. Quapropter quis prudentium non videat, etiam tu quam tolerabiliter feras amicissimi quondam et familiarissimi incredibiles nunc inimicitias consolante conscientia et quem ad modum, vel quod iactitat vel quod a quibusdam forsitan creditur, in sinistris armis deputes, quibus non minus quam dextris contra diabolum dimicatur? Verum tamen illum maluerim aliquo modo mitiorem quam te isto modo armatiorem. Hoc magnum et triste miraculum est ex amicitiis talibus ad has inimicitias pervenisse. Laetum erit et multo maius ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse.

6—8 cf. ep. 48, 1 (*ed. Goldb.* II 137): „Nostras enim (orationes) saepe sauciat et debilitat caligo et tumultus saecularium actionum ... Quando quietem vestram cogitamus, quam habetis in Christo, etiam nos, quamvis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra caritate requiescimus." Ad Aug. sententiam de amicitia cf. ep. 130 ad Probam (*ed. Goldb.* III 40—77); *W. Thimme, Augustin 7—36.*

14 sq. 1 Joh 4, 16.

21 sq. Aug. videtur alludere ad minas Rufini, Hieronymi crimina, quae sibi soli amicissimo confessus esset, in medium se prolaturum (Hier. Apol. adv. Ruf. III 41 [PL 23, 487]). 29 sq. cf. 2 Cor 6, 7.

Epistula Augustini 74 (Hier. 111).

Augustinus ad Praesidium.

Domino beatissimo et merito venerando fratri et consacerdoti Praesidio Augustinus in Domino salutem.

Sicut praesens rogavi sinceritatem tuam, nunc quoque commoneo, ut litteras meas sancto fratri et conpresbytero nostro Hieronymo mittere non graveris. Ut autem noverit caritas tua, quem ad modum etiam tu illi pro mea causa scribere debeas, misi exemplaria litterum et mearum ad ipsum et ad me ipsius, quibus lectis pro tua sancta prudentia facile videas et modum meum, quem servandum putavi, et motum eius, quem non frustra timui. Aut si ego, quod non debui vel quo modo non debui, aliquid scripsi, non ad illum de me, sed ad me ipsum potius fraterna dilectione mitte sermonem, quo correctus petam, ut ignoscat, si meam culpam ipse cognovero.

Epistula Hieronymi 112 (Aug. 75).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus in Christo salutem.

Tres simul epistulas, immo libellos breves, per diaconum Cyprianum I 1
tuae dignationis accepi diversas, ut tu nominas, quaestiones, ut ego sentio, reprehensiones meorum opusculorum continentes. Ad quas si respondere voluero, libri magnitudine opus erit. Tamen conabor, quantum facere possum, modum non egredi epistulae longioris et festinanti fratri moram non facere, qui ante triduum, quam profecturus erat, a me epistulas flagitavit, ut paene in procinctu haec, qualiacumque sunt, effutire conpellar et tumultuario respondere sermone non maturitate scribentis, sed dictantis temeritate, quae plerumque non in doctrinam sed in casum vertitur, ut fortissimos quoque milites subita bella conturbant et ante coguntur fugere, quam possint arma corripere.

Ceterum nostra armatura Christus est et apostoli institutio, qui 2
scribit ad Ephesios: Adsumite arma Dei, ut possitis resistere

10 videas] videbis *Hilberg.*
19 breves *om. Hilberg.*

11 sq. cf. p. 52, 3 sq. 19 sqq. Aug. epp. 28, 40, 71; cf. supra p. 41, 15 sqq.
32 sqq. *Eph 6, 13—17.

in die malo, et rursus: State succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calciati pedes in praeparatione evangelii pacis, super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis universa tela maligni ignita extinguere, et galeam salutis accipite et gladium spiritus, quod est verbum Dei. His quondam telis rex David armatus procedebat ad proelium et quinque lapides de torrente accipiens levigatos nihil asperitatis et sordium inter huius saeculi turbines in sensibus suis esse monstrabat bibens de torrente in via et idcirco exaltatus caput superbissimum Goliath suo potissimum mucrone truncavit percutiens in fronte blasphemum et in ea parte corporis vulnerans, in qua et praesumptor sacerdotii Ozias lepra percutitur. Et sanctus gloriatur in Domino dicens: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Dicamus igitur et nos: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam in gloria mea; exsurge psalterium et cithara, exsurgam diluculo, ut in nobis possit impleri: Aperi os tuum et implebo illud, et: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Te quoque ipsum orare non dubito, ut inter nos contendentes veritas superet. Non enim tuam quaeris gloriam sed Christi, cumque tu viceris, et ego vincam, si meum errorem intellexero, et e contrario me vincente tu superas, quia non filii parentibus sed parentes filiis thesaurizant. Et in Paralipomenon libro legimus, quod filii Israhel ad pugnandum processerint mente pacifica inter ipsos quoque gladios et effusiones sanguinis et cadavera prostratorum non suam' sed pacis victoriam cogitantes. Respondeamus igitur ad omnia et multiplices quaestiones brevi, si Christus iusserit, sermone solvamus. Praetermitto salutationes et officia, quibus meum demulces caput; taceo de blanditiis, quibus reprehensionem mei niteris consolari; ad ipsas causas veniam.

113 Dicis accepisse te librum meum a quodam fratre, qui titulum non haberet, in quo scriptores ecclesiasticos tam Graecos quam Latinos enumeraverim, cumque ab eo quaereres, ut tuis verbis utar, cur „liminaris pagina" non esset inscripta vel quo censeretur nomine, respondisse appellari „Epitaphium", et argumentaris, quod recte sic vocaretur, si eorum tantum vel vitas vel scripta ibi legisses, qui iam defuncti

---

7 sq. cf. 1 Sam 17, 40. 9 sq. cf. Ps 109, 7; 1 Sam 17, 51.
11 sq. in fronte: cf. 2 Paral 26, 19. 13 sq. Ps 4, 7.
14 sqq. *Ps 56, 8 sq.; *Ps 107, 2 sq. 17 sq. *Ps 80, 11.
18 sq. Ps 67, 12. 20 sq. cf. Joh 7, 18.
22 sq. cf. 2 Cor 12, 14. 23 sqq. cf. 1 Paral 12, 17 sq.
31— 55, 3 cf. p. 32, 31—33, 8.

essent; cum vero multorum et eo tempore, quo scribebatur, et nunc usque viventium ibi commemorentur opuscula, mirari te, cur ei hunc titulum inposuerim. Puto intellegere prudentiam tuam, quod ex opere ipso titulum potueris intellegere; legisti enim et Graecos et Latinos, qui vitas virorum inlustrium descripserunt, quod numquam „Epitaphium" huic operi scripserint, sed „De inlustribus viris" — verbi gratia: ducibus, philosophis, oratoribus, historicis, poetis epicis, tragicis, comicis —; epitaphium autem proprie scribitur mortuorum, quod quidem in dormitione sanctae memoriae Nepotiani presbyteri olim fecisse me novi. Ergo hic liber vel „De inlustribus viris" vel proprie „De scriptoribus ecclesiasticis" appellandus est, licet a plerisque emendatoribus inperitis „De auctoribus" dicatur inscriptus.

In secundo loco quaeris, cur dixerim in commentariis epistulae ad III 4
Galatas Paulum id in Petro non potuisse reprehendere, quod ipse fecerat, nec in alio arguere simulationem, cuius ipse tenebatur reus, et adseris reprehensionem apostolicam non fuisse dispensatoriam, sed veram, et me non debere docere mendacium, sed universa, quae scripta sunt, ita sonare, ut scripta sunt. Ad quae primum respondeo debuisse prudentiam tuam praefatiunculae commentariorum meorum meminisse dicentis ex persona mea: „Quid igitur? Ego stultus aut temerarius, qui id pollicear, quod ille non potuit? Minime! Quin potius in eo mihi videor cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum sentiens Origenis commentarios sum secutus. Scripsit ille vir in epistulam Pauli ad Galatas quinque proprie volumina et decimum Stromatum suorum librum commatico super explanatione eius sermone complevit; tractatus quoque varios et excerpta, quae

3 in *om Hilberg.* 2 commemorentur] memorentur *Hilberg.*

8—10 Hier. ep. 60 ad Heliodorum Epitaphium Nepotiani (*ed. Hilberg* I 548–575).

10 Hoc priore titulo liber citatur ab Hieronymo ipso Adv. Jovin. I 26 (PL 23, 247), ep. 47, 3 ad Desiderium (*ed. Hilberg* I 346), praef. comm. Jonae (PL 25, 1117).

13 sqq. cf. p. 33, 9 sqq.; 77, 5 sqq.

20—p. 56, 11 = Hier. comm. in ep. ad Gal prolog. (PL 26, 308 sq.).

22 sq. Similiter in comm. ad Ephesios (PL 26, 442).

23 sq. Praeter tria fragmenta (apud Pamphil., Apol. pro Orig. 5 [PG 14, 1293 — 1298]) et Hieronymi excerpta Origenis comm. ad Gal periit.

25 sq. In Stromatum libris decem (cf. Euseb., H. E. VI 24, 3; Hier., ep. 33, 4 ad Paulam *[ed Hilberg I 255]*) Origenes „Christianorum et philosophorum inter se sententias conparans et omnia nostrae religionis dogmata de Platone et Aristotele, Numenio Cornutoque confirmavit" (Hier., ep. 70, 4 ad Magnum [*ed. Hilberg* I 705 sq.]). Magna vero pars Stromatum commentarios librorum sacrorum continuit (cf. Hier. comm. in Dn 13, 1 [PL 25, 580]); cf. *Bardenhewer II 171—17.*

25 commatico sermone: i. e. brevibus annotationibus (scholiis); cf. Hier. comm. in Mt prol. (PL 26, 20), ubi Origenis scholia in Mt „commaticum interpretationis genus" nominantur.

vel sola possent sufficere, composuit. Praetermitto Didymum videntem meum et Laodicenum de ecclesia nuper egressum et Alexandrum veterem haereticum, Eusebium quoque Emisenum et Theodorum Heracleotem, qui et ipsi nonnullos super hac re commentarios reliquerunt. E quibus vel si pauca decerperem, fieret aliquid, quod non penitus contemneretur. Et, ut simpliciter fatear, legi haec omnia et in mente mea plurima coacervans accito notario vel mea vel aliena dictavi nec ordinis nec verborum interdum nec sensuum memor. Jam Domini misericordiae est, ne per inperitiam nostram ab aliis bene dicta dispereant et non placeant inter extraneos, quae placent inter suos." Si quid igitur reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuae fuerat quaerere, utrum ea, quae scripsimus, haberentur in Graecis, ut, si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares, praesertim cum libere in praefatione confessus sim Origenis commentarios me secutum et vel mea vel aliena dictasse et in fine eiusdem capituli, quod reprehendis, scripserim: „Si cui iste

1 „Didymum videntem meum": cf. Hier. prol. in Origenis homil. in Jer et Ezech (PL 25, 583) et Hier. praef. in versionem libri Didymi de Spiritu Sancto (PL 23, 104): „Didymus vero meus, oculum habens sponsae de Cantico Canticorum, et illa lumina, quae in candentes segetes sublimari Jesus praecepit, procul altius intuetur, et antiquum nobis morem reddidit; ut Videns vocetur Propheta". Didymus et Apollinaris Laodicenus fuerunt Hieronymi quondam magistri; cf. Hier. ep. 84, 3 ad Pammachium et Oceanum (*ed. Hilberg* II 122 sq.): „Apollinarem Laodicenum audivi Antiochiae frequenter et colui et, cum me in Sanctis Scripturis erudiret, numquam illius contentionem super sensu dogma suscepi . . . Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum. In multis ei gratias ago. Quod nescivi didici, quod sciebam, illo diversum docente non perdidi". Ad relationem Hieronymi ad Didymum cf. infra p. 87, 21 et *Cavallera II 127 sq.* Didymi commentarius in ep. ad Gal omnino periit.

2 Apollinaris Laodicenus, qui „in Sanctas Scripturas innumerabilia scripsit volumina" (Hier., De vir. inl. 104 [PL 23, 703]), ab Hieronymo ob nimiam brevitatem explanationis vituperatur (Hier., comm. in Is prol. [PL 24, 21 sq.]); eius comm. in ep. ad Gal interiit; cf. p. 70, 2; 94, 17 sq.

2 Probabiliter Alexander Valentinianus *(Th. Zahn, Gesch. d. neutest. Kanons I [Lipsiae 1888] 728).*

3 sq. Eusebius episcopus Emesae in Phoenicia obiit ante a. 359. Hier. (De vir. inl. 91 [PL 23, 695]) de eo scribit: „Elegantis et rhetorici ingenii innumerabiles, et qui ad plausum populi pertinent, confecit libros, magisque historiam secutus, ab his, qui declamare volunt, studiosissime legitur." Commentarii eius in ep. ad Gal fragmenta in catenis inserta nondum edita sunt; cf. *K. Staab, Die Pauluskatenen (Romae 1926) 62, 255.* Theodorus, episcopus Heracleae in Thracia (obiit c. a. 355) ab Hieronymo in opere De viris inl. 90 (PL 23, 695) ut commentator evangeliorum Mt et Joh, apostoli et psalterii laudatur. Eius explicatio ep. ad Gal periit; cf. p. 70, 1.

11 sqq. Similiter Hieronymus in Apologia adv. Rufin. I 15—29, II 11 (PL 23, 408—421, 465) Rufino respondet, in commentario in ep. ad Ephesios se Origenis sententias non suas fecisse.

16—57, 3 Hier. comm. in Pauli ep. ad Gal 2, 14 (PL 26, 342).

non placet sensus, quo nec Petrus peccasse nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem, debet ostendere, qua consequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit." Ex quo ostendi me non ex definito id defendere, quod in Graecis legeram, sed ea expressisse, quae legeram, ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum probanda essent an inprobanda.

Tu igitur ne, quod ego petieram, faceres, novum argumentum repperisti, ut adsereres gentiles, qui in Christum credidissent, legis onere liberos, eos autem, qui ex Judaeis crederent, legi esse subiectos, ut per utrorumque personam et Paulus recte reprehenderet eos, qui legem servarent, quasi doctor gentium et Petrus iure reprehenderetur, qui princeps circumcisionis id imperaverit gentibus, quod soli, qui ex Judaeis erant, debuerint observare. Hoc si placet, immo quia placet, ut, quicumque credunt ex Judaeis, debitores sint legis faciendae, tu ut episcopus in toto orbe notissimus debes hanc promulgare sententiam et in adsensum tuum omnes coepiscopos trahere. Ego in parvo tuguriunculo cum monachis, id est conpeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenue confiteri, me maiorum scripta legere et in commentariis secundum omnium consuetudinem varias ponere explanationes, ut e multis sequatur unusquisque quod velit. Quod quidem puto te et in saeculari litteratura et in divinis libris legisse et probasse. 5

Hanc autem expositionem, quam primus Origenes in decimo Stromatum libro, ubi epistulam Pauli ad Galatas interpretatur, et ceteri deinceps interpretes sunt secuti, illa vel maxime causa subintroducunt, ut Porphyrio respondeant blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod principem apostolorum Petrum ausus sit reprehendere et arguere in faciem ac ratione constringere, quod male fecerit, id est in eo errore 6

3—6 cf. Hier. Apol. adv. libr. Ruf. I 22 (PL 23, 415): „Et quia commentatoris officium est, multorum sententias ponere, et hoc me facturum in praefatione [comm. in ep. ad Ephesios] promiseram, etiam Origenis, absque invidia nominis eius, explanationem posui". Similiter ibidem I 16 (PL 23, 409 sq.): „Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt, quae obscure scripta sunt, plano sermone manifestant, multorum sententias replicant; et dicunt: Hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur, illi sensum suum et intellegentiam his testimoniis et hac nituntur ratione firmare: ut prudeus lector, cum diversas explanationes legerit, et multorum vel probanda vel improbanda didicerit, iudicet quid verius sit: et quasi bonus trapezita adulterinae monetae pecuniam reprobet. Num diversae interpretationis, et contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum?" Cf. ibidem III 11 (PL 23, 465).

11 cf. Gal 2, 7 sq.; 1 Tim 2, 7. 14 cf. Gal 5, 3.

23 sq. cf. p. 55, 23—26.

26—58, 1 cf. infra p. 62, 18—22. Hier. comm. in ep. ad Gal praef. (PL 26, 310 sq.). Porphyrius Neoplatonicus scripsit quindecim libros Κατὰ Χριστιανῶν.

fuerit, in quo fuit ipse, qui alium arguit delinquentem. Quid dicam de Johanne, qui dudum in pontificali gradu Constantinopolitanam rexit ecclesiam et proprie super hoc capitulo latissimum exaravit librum, in quo Origenis et veterum sententiam est secutus? Si igitur me reprehendis errantem, patere me, quaeso, errare cum talibus et, cum me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuae saltem unum adstipulatorem proferre debebis. Haec de explanatione unius capituli epistulae ad Galatas.

7 Sed ne videar adversum rationem tuam niti testium numero et occasione virorum inlustrium subterfugere veritatem nec manum audere conserere, breviter de Scripturis exempla proponam. In Actibus Apostolorum vox facta est ad Petrum dicens: Surge, Petre, occide et manduca, id est omnia animalia quadrupedum et serpentium terrae et volatilium caeli. Quo dicto ostenditur nullum hominem secundum naturam esse pollutum, sed aequaliter omnes ad Christi evangelium provocari. Ad quod Petrus respondit: Absit, quia numquam manducavi commune et inmundum. Et vox secundo ad eum facta est: Quae Deus purificavit, tu ne commune dixeris. Ivit itaque Caesaream et ingressus ad Cornelium aperiens os suum dixit: In veritate comperio, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi. Denique cecidit Spiritus Sanctus super eos et obstipuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quod et in nationes gratia Spiritus Sancti esset effusa. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? Et iussit eos in nomine Jesu Christi baptizari. Audierunt autem apostoli et fratres, qui erant in Judaea, quia et gentes recepissent verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione,

---

1—4 Joh. Chrysostomus; cf. eius homil. in Gal (PG 61, 641 sq.) et homiliam In illud „in faciem ei restiti" (PG 51, 371—388). Hanc posteriorem homiliam „latissimus liber" Hieronymi designare videtur. Ex loquendi modo Hieronymi concludere licet, Joh. Chrys. tempore huius epistulae iam in exilium missum esse (a. 404). Notatu dignum est Hieronymum eodem anno 404 illum „innormem librum non solum contumeliis, sed ipsa quoque saepe repetita maledictorum recapitulatione nimis horribilem" (Facundus Herm., Pro def. trium cap. VI 5 [PL 67, 678]) Theophili Alexandrini adversus Joh. Chrysostomum in Latinam linguam vertisse. Cf. *Chr. Baur (Rev. Bénéd. XXIII [1906] 430—436).*

4—7 cf. p. 87, 14—18. 12 sq. Act 10, 13.
13 sq. cf. Act 10, 12. 16 sqq. *Act 10, 14 sq.
20 sqq. *Act 10, 34 sq. 23 sqq. *Act 10, 44 sq.; 47 sq., 11, 1—3.

dicentes: Quare introisti ad viros praeputium habentes et manducasti cum illis? Quibus omni ratione exposita novissime orationem suam hoc sermone conclusit: Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt et glorificaverunt Deum dicentes: Ergo et gentibus Deus paenitentiam ad vitam dedit. Rursum, cum multo post tempore Paulus et Barnabas venissent Antiochiam et congregata ecclesia rettulissent, quanta fecisset Deus cum illis et quia aperuisset gentibus ostium fidei, quidam descendentes de Judaea docebant fratres atque dicebant: Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri. Commota igitur seditione non minima adversum Paulum et Barnabam statuerunt ascendere et ipsi, qui accusabantur, et hi, qui accusabant, ad apostolos et presbyteros Hierosolymam super hac quaestione, cumque Hierosolymam perrexissent et surrexissent quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant in Christo, dicentes: Oportet circumcidi eos et praecipere illis, ut servent legem Moysi, et magna super hoc verbo oriretur quaestio, Petrus solita libertate: Viri, inquit, fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum evangelii et credere et, qui novit corda, Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis et nihil discrevit inter nos et illos fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid temptatis Deum inponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quem ad modum et illi. Tacuit autem omnis multitudo et in sententiam eius Jacobus apostolus et omnes presbyteri transierunt.

Haec non debent molesta esse lectori, sed et illi et mihi utilia esse, 8
ut probemus ante apostolum Paulum non ignorasse Petrum, immo principem huius fuisse decreti, legem post evangelium non servandam. Denique tantae Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epistula sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre

32 esse *om Hilberg.*

3 sqq. *Act 11, 17 sq. 8 sqq. *Act 14, 26; 15, 1 sq.; 4 sq.; 7—12.
34 sq. Recte Hieronymus concilium apostolorum ante Antiochenam controversiam habitum esse censet. Aliter Augustinus; cf. p. 79, 15—17.
37 sqq. *Gal 1, 18.

Petrum et mansi apud illum diebus quindecim, rursumque in consequentibus: Post annos quattuordecim ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba adsumpto et Tito; ascendi autem secundum revelationem et exposui illis evangelium, quod praedico inter gentes, ostendens non habuisse se securitatem evangelii praedicandi, nisi Petri et ceterorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum. Statimque sequitur: Separatim autem his, qui videbantur, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Quare separatim et non in publico? Ne fidelibus ex numero Judaeorum, qui legem putabant esse servandam et sic credendum in Domino salvatore, fidei scandalum nasceretur. Ergo et eo tempore, cum Petrus venisset Antiochiam — licet hoc Apostolorum Acta non scribant, sed adfirmanti Paulo credendum sit — in faciem illi Paulus restitisse se scribit, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat se et segregabat timens eos, qui ex circumicisione erant. Et consenserunt cum illo ceteri Judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab his in illa simulatione. Sed cum vidissem, inquit, quod non recte ingrediuntur ad veritatem evangelii, dixi Petro coram omnibus: Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter et non Judaice vivis, quo modo gentes cogis iudaizare? Et cetera. Nulli ergo dubium est, quod Petrus apostolus sententiae huius, cuius nunc praevaricator arguitur, primus auctor extiterit. Causa autem praevaricationis timor est Judaeorum; dicit enim Scriptura, quod primum edebat cum gentibus, cum autem venissent quidam a Jacobo, subtrahebat se et segregabat timens eos, qui ex circumcisione erant. Timet autem Judaeos, quorum erat apostolus, ne per occasionem gentilium a fide Christi recederent et imitator pastoris boni perderet gregem sibi creditum.

9 Sicut igitur ostendimus Petrum bene quidem sensisse de abolitione legis Mosaicae, sed ad simulationem observandae eius timore compulsum, videamus, an ipse Paulus, qui alium arguit, tale quid fecerit. Legimus in eodem libro: Perambulabat autem Paulus Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias pervenitque in Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judaeae fidelis patre gentili. Huic testimonium reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres.

6 ceterorum *om Hilberg.* 29 gentilium] gentium *Hilberg.*

2 sqq. *Gal 2, 1 sq. 8 sq. *Gal 2, 2. 12 *Gal 2, 11—14.
14 sqq. *Gal 2, 11—14. 26—28 *Gal 2, 12.
29 sq. cf. Joh 21, 15—17. 34 sqq. *Act 15, 41—16, 3.

Hunc voluit Paulus secum proficisci et adsumens circumcidit eum propter Judaeos, qui erant in illis locis; sciebant enim omnes, quod pater eius gentilis esset. O beate apostole Paule, qui in Petro reprehenderas simulationem, quare se subtraxisset a gentibus propter metum Judaeorum, qui a Jacobo venerant, cur Timotheum, filium hominis gentilis utique et ipsum gentilem — neque enim Judaeus erat, qui non fuerat circumcisus —, contra sententiam tuam circumcidere cogeris? Respondebis mihi: „Propter Judaeos, qui erant in illis locis". Qui igitur tibi ignoscis in circumcisione discipuli venientis ex gentibus, ignosce et Petro, praecessori tuo, quod aliqua fecerit metu fidelium Judaeorum. Rursum scriptum est: Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus „vale" dicens navigavit Syriam et cum eo Priscilla et Aquila et totondit sibi in Cenchris caput; votum enim habuerat. Esto, ut ibi Judaeorum timore conpulsus sit facere, quod nolebat: quare comam nutrivit ex voto et postea eam in Cenchris totondit ex lege, quod Nazaraei, qui se Deo voverint, iuxta praecepta Moysi facere consuerunt?

Verum haec ad conparationem eius rei, quae sequitur, parva sunt. Refert Lucas, sacrae scriptor historiae: Cum venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres et sequenti die Jacobus et omnes seniores, qui cum eo erant, evangelio illius conprobato dixerunt ei: Vides, frater, quot milia sunt in Judaea, qui crediderunt in Christo et hi omnes aemulatores legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doces a Moyse eorum, qui per gentes sunt, Judaeorum dicens non debere circumcidere eos filios suos neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem; audient te enim supervenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quattuor votum habentes super se; his adsumptis sanctifica te cum ipsis et inpende in eos, ut radant capita, et scient omnes, quia, quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. Tunc Paulus adsumptis viris postera die purificatus cum illis intravit in templum adnuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro uno-

16 eam *om Hilberg.* 17 praecepta] praeceptum *Hilberg.*
21 exceperunt] susceperunt *Hilberg.* 24 legis] sunt legis *Hilberg.*
25 quia] quod *Hilberg.* 25 doces] doceas *Hilberg.*
32 scient] sciant *Hilberg.*

11—14 *Act 18, 18. 16—18 cf. Num 6, 18.
20 sqq. *Act 21, 17 sq.; 20—24; 26.

quoque eorum oblatio. O Paule, et in hoc te rursum interrogo, cur caput raseris, cur nudipedalia exercueris de caeremoniis Judaeorum, cur obtuleris sacrificia et secundum legem hostiae pro te fuerint immolatae. Utique respondebis: „Ne scandalizarentur, qui ex Judaeis crediderant." Simulasti ergo Judaeum, ut Judaeos lucrifaceres, et hanc ipsam simulationem Jacobus te et ceteri docuere presbyteri. Sed tamen evadere non potuisti; orta enim seditione cum occidendus esses, raptus es a tribuno et ab eo missus Caesaream sub custodia militum diligenti, ne te Judaei quasi simulatorem ac destructorem legis occiderent, atque inde Romam perveniens in hospitio, quod tibi conduxeras, Christum et Judaeis et gentibus praedicasti et sententia tua Neronis gladio confirmata est.

11 Didicimus, quod propter metum Judaeorum et Petrus et Paulus aequaliter finxerint legis se praecepta servare. Qua igitur fronte, qua audacia potest id Paulus in altero reprehendere, quod ipse commisit? Ego, immo alii ante me exposuerunt causam, quam putaverant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis, sed docentes honestam dispensationem, ut et apostolorum prudentiam demonstrarent et blasphemantis Porphyrii inpudentiam cohercerent, qui Paulum et Petrum puerili dicit inter se pugnasse certamine, immo exarsisse Paulum in invidiam virtutum Petri et ea scripsisse iactanter, vel quae non fecerit vel, si fecit, procaciter fecerit in alio reprehendens, quod ipse commiserit. Interpretati sunt illi, ut potuerunt; tu quo modo istum locum edisseres? Utique meliora dicturus, qui veterum sententiam reprobasti.

IV 12 Scribis ad me in epistula: „Neque enim a me docendus es, quo modo intellegatur, quod idem dicit: Factus sum Judaeis tamquam Ju-

1 rursum] rursus *Hilberg.* 14 sq. audacia potest id Paulus in altero reprehendere] audacia Paulus in altero reprehendat *Hilberg.*
20 sq. in invidiam] invidia *Hilberg.* 22 in] id in *Hilberg.*
25 epistula] epistula tua *Hilberg.*

5 sq. cf. 1 Cor 9, 20.
7—12 cf. Act 23, 12 sq., 22—24; 28, 14, 30 sq. 16 sq. cf. p. 30, 3—7.
18 sq. cf. Hier. comm. in ep. ad Gal (PL 26, 340): „Si hoc illi (sc. oratores Romani) faciunt . . . et fallunt populum circumstantem: quid putamus tantas ecclesiae columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiae inter dissidentes Judaeos atque gentiles facere debuisse? Nisi ut eorum simulata contentio pax credentium fierit et ecclesiae fides sancto inter eos iurgio concordaret"; infra p. 80, 20—23.
18—22 cf. p. 57, 26—58, 1; 67, 12 sq.; 87, 10—13. Hier. comm. in ep. ad Gal praef. (PL 26, 310 sq.): „Quod nequaquam intellegens Bataneotes et sceleratus ille Porphyrius in primo operis sui adversum nos libro Petrum a Paulo obiecit esse reprehensum, quod non recto pede incederet ad evangelizandum: volens et illi maculam erroris inurere et huic procacitatis, et in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se ecclesiarum principes discrepent".
25—63, 12 = p. 34, 1—14. 26 sq. *1 Cor 9, 20.

daeus, ut Judaeos lucrifacerem, et cetera, quae ibi dicuntur compassione misericordi, non simulatione fallaci. Fit enim tamquam aegrotus, qui ministrat aegroto, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quem ad modum sibi serviri vellet, si ipse aegrotaret. Nam utique Judaeus erat, Christianus autem factus non Judaeorum sacramenta reliquerat, quae convenienter ille populus et legitime tempore, quo oportebat, acceperat. Ideoque suscepit ea celebranda, cum iam Christi esset apostolus, ut doceret non esse perniciosa his, qui ea vellent, sicut a parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum in Christum credidissent, non tamen in eis iam constituerent spem salutis, quoniam per Dominum Jesum salus ipsa, quae illis sacramentis significabatur, advenerat". Totius sermonis tui, quem disputatione longissima protraxisti, hic sensus est, ut Petrus non erraverit in eo, quod his, qui ex Judaeis crediderant, putaverit legem esse servandam, sed in eo a recti linea deviarit, quod gentes cogeret iudiazare, cogeret autem non docentis imperio, sed conversationis exemplo; et Paulus non contraria sit locutus his, quae ipse gesserat, sed quare Petrus eos, quid ex gentibus erant, iudaizare compelleret.

Haec ergo summa est quaestionis, immo sententiae tuae, ut post evangelium Christi bene faciant credentes Judaei, si legis mandata custodiant, hoc est si sacrificia offerant, quae obtulit Paulus, si filios circumcidant, si sabbatum servent, ut Paulus in Timotheo et omnes observavere Judaei. Si hoc verum est, in Cerinthi et Hebionis haeresin delabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum a parentibus anathematizati sunt, quod legis caeremonias Christi evangelio miscuerunt et sic nova confessi sunt, ut vetera non amitterent. Quid dicam de Hebionitis, qui Christianos esse se simulant? Usque hodie per 13

10 Christum] Christo *Hilberg*; cf. l. 25.

20—24 = p. 82, 19—23. 23 sq. cf. Act 16, 1—4. 24 sq. cf. p. 67, 13 sq.

24 Cerinthus fuit Gnosticus Judaisticus saec. I., adversum quem teste Iren. (Adv. haer. III 11, 1) Johannes scripsit evangelium suum; cf. *A. Hilgenfeld, Ketzergeschichte des Urchristentums (Lipsiae 1884) 411—421.* — Hebionitae (sive Ebionitae) fuerunt haeresis Judaistica saeculi primi. Hieronymus cum vetustioribus scriptoribus caput huius haereseos Hebionem quendam putavit; cf. infra p. 67, 13 sq.; comm. in Gal 3, 14 (PL 26, 361); in Tit 3, 10 (PL 26, 597); Dial. adv. Lucif. 23. 26 (PL 23, 178. 180). Item iam Tertullianus, Hippolytus, Epiphanius, Filastrius (Haer. 37 [CSEL 38, 20]), ex recentioribus A. Hilgenfeld. Rectius vero nomen „Ebionitae", quod significat pauperes (אביונים, hebr. אביונים), hanc haeresim sibi ipsam dedisse creditur; cf. ad rem *G. Hoennicke, Das Judenchristentum (Berolini 1908) 228—232; Bardenhewer I 377—379.*

28—64,5 Minaei ab Hieronymo iidem ac Nazaraei declarantur, sc. Judaeochristiani. In litteratura Rabbinica vero מִינִים (= haeretici) et נֹצְרִים (= Nazaraei sive Nazareni, i. e. Judaeochristiani) distinguuntur, ita e. g. in bened. 12. Schemone

totas orientis synagogas inter Judaeos haeresis est, quae dicitur Minaeorum et a Pharisaeis huc usque damnatur, quos vulgo Nazaraeos nuncupant, qui credunt in Christum, filium Dei natum de Maria virgine et eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato et passus est et resurrexit, in quem et nos credimus. Sed dum volunt et Judaei esse et Christiani, nec Judaei sunt nec Christiani. Oro ergo te, ut, qui nostro vulnusculo medendum putas, quod acu foratum, immo punctum dicitur, huius sententiae medearis vulneri, quod lancea et, ut ita dicam, phalaricae mole percussum est. Neque enim eiusdem est criminis in explanatione Scripturarum diversas maiorum sententias ponere et haeresin sceleratissimam rursus in ecclesiam introducere. Sin autem haec nobis incumbit necessitas, ut Judaeos cum legitimis suis suscipiamus, et licebit eis observare in ecclesiis Christi, quod exercuerunt in synagogis satanae, — dicam, quod sentio —, non illi Christiani fient, sed nos Judaeos facient.

14 Quis enim hoc Christianorum patienter audiat, quod in tua epistula continetur: „Judaeus erat Paulus, Christianus autem factus non Judaeorum sacramenta reliquerat, quae convenienter ille populus et legitime tempore, quo oportebat, acceperat. Ideoque suscepit ea celebranda, cum iam Christi esset apostolus, ut doceret non esse perniciosa his, qui ea vellent, sicut a parentibus per legem acceperant custodire". Rursum obsecro te, ut pace tua meum dolorem audias. Judaeorum Paulus caeremonias observabat, cum iam Christi esset apostolus, et dicis eas non esse perniciosas his, qui eas velint, sicut a parentibus acceperint, custodire. Ego e contrario loquar et reclamante mundo libera voce pronuntiem caeremonias Judaeorum et perniciosas esse et mortiferas Christianis et, quicumque eas observaverit sive ex Judaeis sive ex gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum. Finis enim legis Christus est ad iustitiam omni credenti, Judaeo scilicet atque gentili. Neque enim omni credenti erit finis ad iustitiam, si Judaeus excipitur. Et in evangelio legimus: Lex et prophetae usque ad Johannem Baptistam, et in alio loco: Propterea ergo magis

11 rursus] rursum *Hilberg.* 29 est *om Hilberg.*

Esre rec. Palaest. Interdum vero Nazareni inter Minaeos, i. e. haereticos nominantur. Cf. *Hoennicke, l. c. 381—400; A. Büchler in Judaica. Festschrift zu H. Cohens 70. Geburtstag (Berolini 1912) 271—295.* „Nazaraei" a Judaeis primo Christani nominabantur, postea autem haeresis Judaistica ab Ebionitis distincta. Epiphanius (Haer. 19; 29, 5 sq.) a Nazaraeis Judaeochristianis aliam haeresim eiusdem nominis iam ante religionem christianam in regionibus trans Jordanem exsistentem distinguit. In qua quidam recentiores ut M. Lidzbarski Mandaeos cognoscere volunt.

13 sq. cf. Apc 2, 9; 3, 9. 17—22 = p. 34, 7—12; 63, 5—10.
25—28 = p. 83, 32—37. 28 sq. Rom 10, 4.
31 sq. *Lc 16, 16; Mt 11, 13. 31—65, 13 cf. p. 84, 4—13. 32—65, 3 Joh 5, 18.

quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo, et iterum: De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Pro legis gratia, quae praeteriit, gratiam evangelii accepimus permanentem et pro umbris et imaginibus veteris instrumenti veritas per Jesum Christum facta est. Hieremias quoque ex persona Dei vaticinatur: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israhel et domui Juda testamentum novum non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die, quando adprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti. Observa, quid dicat, quod non populo gentilium, cum quo ante non fecerat testamentum, sed populo Judaeorum, cui legem dederat per Moysen, testamentum novum evangelii repromittat, ut nequaquam vivant in vetustate litterae sed in novitate spiritus. Paulus autem, super cuius nomine nunc quaestio ventilatur, crebras huiusce modi ponit sententias, e quibus brevitatis studio pauca subnectam: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest, et iterum: Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini; a gratia excidistis, et infra: Si spiritu ducimini, iam non estis sub lege. Ex quo apparet, qui sub lege est non dispensative, ut nostri voluere maiores, sed vere, ut tu intellegis, eum Spiritum Sanctum non habere. Qualia sint autem praecepta legalia, Deo docente discamus: Ego, inquit, dedi eis praecepta non bona et iustificationes, in quibus non vivant in eis. Haec dicimus, non quo legem iuxta Manichaeum et Marcionem destruamus, quam et sanctam et spiritalem iuxta apostolum novimus, sed quod, postquam fides venit et temporum plenitudo,

17 nomine nunc] nunc nomine *Hilberg.* 24 spiritum sanctum] sanctum spiritum *Hilberg.* 25 sint autem]autem sint *Hilberg.*

3—5 Joh 1, 16 sq. 7 vetus instrumentum (et novum): pro Vetere et Novo Testamento ex Tertulliano saepe apud Patres Latinos adhibetur; cf. Hier. ep. 106, 2 ad Sunniam et Fretelam (*ed. Hilberg* II 249): ad fontem Graeci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum. 7 sq. cf. Col 2, 17; Hebr 8, 5; 10, 1. 9 sqq. *Jer 31 (LXX 38), 31 sq. 16 cf. Rom 7, 6. 19 sq. *Gal 5, 2. 20 sqq. Gal 5, 4; cf. p. 85, 1—3. 22 sq. *Gal 5, 18. 22—24 = p. 85, 6—9; 86, 5 sqq. 25—27 *Ezech 20, 25. 27 sq. Manichaeicam Vet. Testamenti reiectionem Aug. praesertim in opere „Contra Faustum Manichaeum" impugnavit. Marcionitismum Augustini tempore iam mortuum fuisse Aug. ipse testatur in ep. 118, 2, 12 ad Dioscurum *(ed. Goldb.* II 677). Ad Augustini libros duo „Contra adversarium legis et prophetarum" (PL 42, 604-666) cf. *A. v. Harnack, Marcion (²Lipsiae 1924) 390* n. 4; 424*–433*.* 28 sq. cf. Rom 7, 12; 14. 29 sqq. *Gal 4, 4 sq.

misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus et nequaquam sub paedagogo, sed sub adulto et domino et herede vivamus.

15 5 Sequitur in epistula tua: „Non ideo Petrum emendavit, quod paternas traditiones observaret, quod si facere vellet, nec mendaciter nec incongrue faceret". Iterum dico: Episcopus es, ecclesiarum Christi magister; ut probes verum esse, quod adseris, suscipe aliquem Judaeorum, qui factus Christianus natum sibi filium circumcidat, qui observet 10 sabbata, qui abstineat se a cibis, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione, qui quarta decima die mensis primi agnum mactet ad vesperam, et, cum hoc feceris, immo non feceris — scio enim te Christianum et rem sacrilegam non esse facturum —, velis nobis tuam sententiam reprobabis et tunc disces opere difficilius esse 15 confirmare sua quam aliena reprehendere. Ac ne forsitan tibi non crederemus, immo non intellegeremus, quid diceres — frequenter enim in longum sermo protractus caret intellegentia et, dum non sentitur, ab inperitis minus reprehenditur —, inculcas et replicas: „Hoc ergo Judaeorum Paulus dimiserat, quod malum habebant". Quod est malum 20 Judaeorum, quod Paulus dimiserat? Utique illud, quod sequitur, „quod ignorantes", inquit, „Dei iustitiam et suam iustitiam volentes constituere iustitiae Dei non sunt subiecti; deinde quod post passionem et resurrectionem Christi dato ac manifestato sacramento gratiae secundum ordinem Melchisedech adhuc 25 putabant vetera sacramenta non ex consuetudine sollemnitatis, sed ex necessitate salutis esse celebranda, quae tamen si numquam fuissent necessaria, infructuose atque inaniter pro eis Machabaei martyres fierent; postremo illud, quod praedicatores gratiae Christianos Judaei tamquam hostes legis persequerenter. Hos atque eius modi errores et 30 vitia dicit se damna et stercora arbitratum, ut Christum lucrifaceret".

16 Didicimus per te, quae apostolus Paulus mala reliquerit Judaeorum; rursum te docente discamus, quae bona eorum tenuerit. „Observationes", inquis, „legis, quas more patrio celebrabant, sicut ab ipso Paulo celebratae 35 sunt sine ulla salutis necessitate". Quid velis dicere „sine ulla salutis necessitate", non satis intellego. Si enim salutem non adferunt, cur

10 se *om Hilberg.* 21 inquit *om Hilberg.* 29 eius] huius *Hilberg.* 34 inquis] inquies *Hilberg.*

3 sq. cf. Gal 3, 25; 4, 1. 7. 5—7 = p. 34, 17—19. 8—12 cf. p. 81, 8—14. 10 sq. *1 Tim 4, 3. 18—31 = p. 35, 8—19.
21 sqq. *Rom 10, 3. 24 cf. Ps 109, 4. 27 sq. 2 Mach 7.
30 sq. cf. Phil. 3, 8. 33—35 = p. 35, 19 sq.

observantur? Si autem observanda sunt, utique salutem adferunt, maxime quae servata martyres faciunt. Non enim observarentur, nisi adferrent salutem. Neque enim indifferentia sunt inter bonum et malum, sicut philosophi disputant: „Bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta proicere, sputa rheumatis iacere“. Hoc nec bonum nec malum est; sive enim feceris sive non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam. Observare autem legis caeremonias non potest esse indifferens, sed aut malum est aut bonum est. Tu dicis bonum, ego adsero malum et malum non solum his, qui ex gentibus, sed et his, qui ex Judaico populo crediderunt. In hoc, nisi fallor, loco dum aliud vitas, ad aliud devolueris. Dum enim metuis Porphyrium blasphemantem, in Hebionis incurris laqueos his, qui credunt ex Judaeis, observandam legem esse decernens. Et quia periculosum intellegis esse, quod dicis, rursum illud superfluis verbis temperare conaris: „Sine ulla salutis necessitate, sicut Judaei celebrandas putabant, aut fallaci simulatione, quod in Petro reprehenderat“.

Petrus igitur simulavit legis custodiam, iste autem reprehensor Petri 17
audacter observavit legitima. Sequitur enim in epistula tua: „Nam si propterea illa sacramenta celebravit, quia simulavit se Judaeum, ut illos lucrifaceret, cur non etiam sacrificavit cum gentibus, quia et his, qui sine lege erant, tamquam sine lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret, nisi quia et illud fecit ut natura Judaeus et hoc totum dixit, non ut [fallaciter] se fingeret esse, quod non erat, sed ut misericorditer ita subveniendum esse sentiret, ac si ipse in eo errore laboraret, non scilicet mentientis astu sed conpatientis affectu?“ Bene defendis Paulum, quod non simulaverit errorem Judaeorum, sed vere fuerit in errore, neque imitari voluerit Petrum mentientem, ut, quod erat, metu Judaeorum dissimularet, sed tota libertate Judaeum esse se diceret. Novam clementiam apostoli! Dum Judaeos Christianos vult facere, ipse Judaeus factus est. Non enim poterat luxuriosos ad frugalitatem reducere, nisi se luxuriosum probasset, et misericorditer, ut ipse dicis, subvenire miseris, nisi se miserum ipse sentiret. Vere enim miselli et misericorditer deplorandi, qui contentione sua et amore legis abolitae apostolum Christi fecere Judaeum. Nec multum interest inter meam et tuam sententiam, quia ego dico et Petrum et Paulum

6 sputa rheumatis] sputis rheumata *Hilberg.* 11 nisi] ni *Hilberg.*
24 falliciter *deest in Codd praeter Berolin. 2. man.; add Goldb. et Hilberg ex p.* 35, 26.

3—9 cf. p. 80, 12—16. 12 sq. cf. p. 57, 26—58, 1; 62, 18—22.
13 sq. cf. p. 63, 24 sq.; 82, 23 sqq. 15—17 = p. 35, 20—22.
19—26 = p. 35, 22—28. 20 sq. cf. I Cor 9, 20 sq. 26—28 = p. 88, 20—22.

timore fidelium Judaeorum legis exercuisse, immo simulasse mandata, tu autem adseris hoc eos fecisse clementer „non mentientis astu, sed conpatientis affectu", dum modo illud constet vel metu vel misericordia eos simulasse se esse, quod non erant. Illud autem argumentum, quo adversum nos uteris, quod et gentilibus debuerit gentilis fieri, si Judaeis Judaeus factus est, magis pro nobis facit. Sicut enim non fuit vere Judaeus, sic nec vere gentilis erat, et sicut non vere gentilis, sic nec vere Judaeus erat. In eo autem imitator gentilium est, quia praeputium recipit in fide Christi et indifferenter permittit vesci cibis, quos damnant Judaei, non cultu, ut tu putas, idolorum; in Christo enim Jesu nec circumcisio est aliquid nec praeputium, sed observatio mandatorum Dei.

18 Quaeso igitur et te iterum atque iterum deprecor, ut ignoscas disputatiunculae meae et, quod modum meum egressus sum, tibi inputes, qui coegisti, ut rescriberem, et mihi cum Stesichoro oculos abstulisti. Nec me putes magistrum esse mendacii, qui sequor Christum dicentem: „Ego sum via et vita et veritas, nec potest fieri, ut veritatis cultor mendacio colla submittam. Neque mihi inperitorum plebeculam concites, qui te venerantur ut episcopum et in ecclesia declamantem sacerdotii honore suscipiunt, me autem aetatis ultimae et paene decrepitum ac monasterii et ruris secreta sectantem parvi pendunt, et quaeras tibi, quos doceas sive reprehendas. Ad nos enim tantis maris atque terrarum a te divisos spatiis vix vocis tuae sonus pervenit et, si forsitan litteras scripseris, ante eas Italia ac Roma suscipiet, quam ad me, cui mittendae sunt, deferantur.

V 19 Quod autem in aliis quaeris epistulis, cur mea prior in libris canonicis interpretatio asteriscos habeat et virgulas praenotatas et postea aliam translationem absque his signis ediderim — pace tua dixerim —, videris mihi non intellegere, quod quaesisti. Illa enim interpretatio Septuaginta interpretum est et, ubicumque virgulae, id est obeli sunt, significatur, quod Septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebraeo, ubi autem asterisci, id est stellae praelucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est. Et ibi Graeca transtulimus, hic de ipso Hebraico, quod intellegebamus, expressimus sensuum potius veritatem quam verborum interdum ordinem conservantes. Et miror, quo modo Septua-

7 non vere] non fuit vere *Hilberg*. 13 et te] te et *Hilberg*.

2 sq. cf. p. 35, 25—28; 89, 1 sqq. (Aug. ep. 82, 3, 26—29). 4—6 cf. p. 35, 22—28. 6 cf. 1 Cor 9, 20. 8—10 cf. p. 88, 12 sqq.
10 sq. *Gal 5, 6; 6, 15. 15 cf. p. 36, 3—5. 17 *Joh 14, 6.
23—25 cf. p. 44, 15—18. 26—69, 9 cf. p. 41, 29—42, 16.
33—35 cf. Hier. ep. 57, 5 ad Pammachium de optimo genere interpretandi (*ed. Hilberg* I 508): „Ego enim... libera voce profiteor me in interpretatione Grae-

ginta interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos sive corruptos per obelos et asteriscos et Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris, praesertim cum ea, quae addita sunt, ex hominis Judaei atque blasphemi post passionem Christi editione transtulerit. Vis amator esse verus Septuaginta interpretum? Non legas ea, quae sub asteriscis sunt, immo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes ecclesiarum bibliothecas condemnare cogeris. Vix enim unus aut alter invenietur liber, qui ista non habeat.

Porro quod dicis non debuisse me interpretari post veteres et novo VI 20
uteris syllogismo: „Aut obscura fuerunt, quae interpretati sunt Septuaginta, aut manifesta; si obscura, te quoque in eis falli potuisse credendum est, si manifesta, illos in eis falli non potuisse perspicuum est", tuo tibi sermone respondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in Domino praecesserunt et qui Scripturas Sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt aut manifesta. Si obscura, quo modo tu post eos ausus es disserere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifesta, superfluum est te voluisse disserere, quod illos latere non potuit, maxime in explanatione psalmorum, quos apud Graecos interpretati sunt multis voluminibus primus Origenes,

17 quo modo tu] tu quomodo *Hilberg.*

corum absque Scripturis Sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est, non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu".

3—5 cf. praef. in l. Job (PL 28, 1082): „Quod si apud Graecos post Septuaginta editionem iam Christi evangelio coruscante Judaeus Aquila, Symmachus et Theodotio iudaizantes haeretici sunt recepti, qui multa mysteria salvatoris subdola interpretatione celarunt et tamen in Ἑξαπλοῖς habentur apud ecclesias ..., quanto magis ego Christianus, de parentibus Christianis natus et vexillum crucis in mea fronte portans, cuius studium fuit omissa repetere, depravata corrigere et sacramenta Ecclesiae puro ac fideli aperire sermone, vel a fastidiosis vel a malignis lectoribus non debeo reprobari?"

4 Theodotionem, qui saec. II. p. Chr. Vetus Test. interpretatus est, Hier. De vir. inl. 54 (PL 23, 665), in comm. in Habac 3, 11—13 (PL 25, 1326) et in praef. in l. Job supra citata Ebionitam vocat, non Judaeum. Accuratius in praef. comm. in Dn (PL 25, 493) scribit: „Theodotio..., qui utique post adventum Christi incredulus fuit, licet eum quidam dicant Ebionitam, qui altero genere Judaeus est".

5—9 cf. Hier. praef. in l. Job (PL 28, 1079 sq.).

7—9 Ad propagationem textus hexaplarici graeci cf. *O. Pretzl (Biblica VII [1926] 233—269; 353—383)*; ad propagationem apud Latinos Aug., De civ. Dei XVIII 43 (CSEL 40, 2, 337): „Et multi codices has notas (sc. asteriscos et obelos) habentes usquequaque diffusi sunt et Latini".

10—70, 13 cf. p. 29, 12—14; 92, 37—93, 5.

16—19 cf. p. 46, 19—22.

20 Origenes scripsit et scholia et homilias et 46 libros commentariorum in

secundus Eusebius Caesariensis, tertius Theodorus Heracleotes, quartus Asterius Scythopolita, quintus Apollinaris Laodicenus, sextus Didymus Alexandrinus. Feruntur et diversorum in paucos psalmos opuscula, sed nunc de integro psalmorum corpore dicimus. Apud Latinos autem Hilarius Pictavensis et Eusebius, Vercellensis episcopus, Origenem et Eusebium transtulerunt, quorum priorem et noster Ambrosius in quibusdam secutus est. Respondeat mihi prudentia tua, quare post tantos et tales interpretes in explanatione psalmorum diversa senseris. Si enim obscuri sunt psalmi, te quoque in eis falli potuisse credendum est; si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur. Ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua et hac lege post priores nullus loqui audebit et, quodcumque alius occupaverit, alius de eo scribendi licentiam non habebit. Quin potius humanitatis tuae est, in quo veniam tibi tribuis, indulgere et ceteris. Ego enim non tantum

14 tantum] tam *Hilberg.*

Psalterium, quorum fragmenta conservata sunt (cf. *Bardenhewer II 121, 132, 141 sq.*). Eusebii Caesariensis commentarii in Psalterium ab Hier. (De vir. inl. 81 (PL 23, 689) laudati magna pars exstat (cf. *Bardenhewer III 253 sq.*).

1 Theodori Heracleotis (cf. supra p. 56, 3 sq.) commentarii pauca fragmenta in catenis nobis traduntur (cf. *R. Devreesse, Dict. de Bible, Suppl. I 1124*).

2 Asterius ab Hieronymo iam in ep. 70, 4 ad Magnum (*ed. Hilberg* I 706) nominatus idem esse videtur atque „Asterius Arianae philosophus factionis" (Hier., De vir. inl. 94 [PL 23, 697]); eius commentarii aliqua fragmenta exstant (cf. *Devreesse, l. c. 1127*).

2 Apollinaris in Psalmos explanationis multa fragmenta in catenis conservata sunt (cf. *Devreesse l. c. 1127*); cf. p. 56, 2 sq.

3 Fragmenta numerosa eius ampli in Psalterium commentarii *ed. A. Mai* (PG 39, 1155—1616); cf. *Bardenhewer III 108*; *Devreesse, l. c. 1125 sq.*

3 sq. e. gr. Joh. Chrysostomi (PG 55; cf. *Chr. Baur in* Χρυσοστομικά *I* [*Romae 1908 235—242*), Theodori Mopsuesteni (PG 66, 647—696), Theodoreti (GP 80, 857—1998).

4 sq. *ed. ab A. Zingerle* (CSEL 22).

5 sq. Eusebii Vercellensis translatio commentarii Eusebii Caesariensis, de qua Hier. iam loquitur De vir. inl. 96 (PL 23, 697) et ep. 61, 2 ad Vigilantium (*ed. Hilberg* I 577), omnino periit.

6 sq. „Enarrationes in 12 psalmos David" et „Expositio" in Ps 118 (PL 14, 921—1180; 15, 1197—1526).

14—71,5 cf. Hier. praef. in Pentateuchum ad Desiderium (PL 28, 147): „Periculosum opus certe, et obtrectatorum latratibus patens, qui me adserunt in Septuaginta interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes, cum ego saepissime testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre, quae possim, nec opes alterius aliorum pauperte foedari". Similiter in prol. galeato in libros Samuel et Malachim (PL 28, 547—558) et in omnibus fere praefationibus librorum Vet. Test., acerbissime in praef. in librum Psalmorum iuxta Hebraicam veritatem (PL 28, 1126): „Perversissimi homines... cum semper novas expetant voluptates, et gulae eorum vicina maria non sufficiant: cur in solo studio Scripturarum veteri sapore contenti sunt?"

vetera abolere conatus sum, quae linguae meae hominibus emendata de Graeco in Latinum transtuli, quam ea testimonia, quae a Judaeis praetermissa sunt vel corrupta, proferre in medium, ut scirent nostri, quid Hebraea veritas contineret. Si cui legere non placet, nemo conpellit invitum. Bibat vinum vetus cum suavitate et nostra musta contemnat, quae in explanatione priorum edita sunt, ut, sicubi illa non intelleguntur, ex nostris manifestiora fiant. Quod autem genus interpretationis in Scripturis Sanctis sequendum sit, liber, quem scripsi „De optimo genere interpretandi", et omnes praefatiunculae divinorum voluminum, quas editioni nostrae proposuimus, explicant ad illasque prudentem lectorem remittendum puto. Et si me, ut dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipis exponisque causam, cur suscipias, quia plurimi linguae Graecae habentes scientiam de meo possent opere iudicare, eandem integritatem debueras etiam in Veteri credere Testamento, quod non nostra confinximus, sed, ut apud Hebraeos invenimus, divina transtulimus. Sicubi dubitas, Hebraeos interroga.

Dices: „Quid, si Hebraei aut respondere noluerint aut mentiri voluerint?" Tota frequentia Judaeorum in mea interpretatione reticebit? Nullus inveniri poterit, qui Hebraeae linguae habeat notitiam, aut omnes imitabuntur illos Judaeos, quos dicis in Africae repertos oppidulo in meam calumniam conspirasse? Huiusce modi enim in epistula tua texis fabulam: „Quidam frater noster episcopus cum lectitari instituisset in ecclesia, cui praeest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter a te positum apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum et tot aetatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe maxime Graecis arguentibus et inflammantibus calumniam falsitatis, ut co- 21

10 proposuimus] praeposuimus *Hilberg*. 19 nullus] *add* si *ex coniectura Goldb.*

2 sq. A Septuaginta interpretibus; cf. p. 92, 25—33. 5 sq. cf. Lc 5, 39.

6 sq. cf. p. 69, 3—5 notam.

8 sq. Hier. ep. 57 ad Pammachium (*ed. Hilberg* I 503—526); *G. Hoberg, De S. Hieronymi ratione interpretandi (diss. Bonnae 1886.)*

9—11 PL 28 et 29, composita apud *Stummer* 222—262.

11—14 cf. p. 43, 8—14; Hier. praef. in Pentat. (PL 28, 151 sq.): „Audi igitur, aemule; obtrectator ausculta ... Quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi tibi in translatione videor errare, interroga Hebraeos, diversarum urbium magistros consule: quod illi habent de Christo, tui codices non habent." Similiter in praef. in Ezram (PL 28, 1404), in prologo galeato in libros Samuel et Malachim (PL 28, 558) et saepe in praefationibus librorum Veteris Test.

16 sq. Augustinus, sicut ipse (ep. 101, 4; c. Faust. Manich. XII 37) testatur, linguae Hebraicae prorsus imperitus fuit; cf. *Clausen 10—30*; *Rottmanner, Geistesfrüchte 61—66.* 22—72, 6 = p. 42, 29—43, 5.

22 texis fabulam: Vix Hier. his verbis narrationem Augustini historicam esse negare vult. Ad Hieronymi usum „fabulae" cf. *L. Schade (Katholik, 4. F. VII [1911] 415), E. Kalt (ibid., 4. F. VIII [1911] 271—287).*

geretur episcopus — Oea quippe civitas erat — Judaeorum testimonium flagitare. Utrum autem illi inperitia an malitia hoc esse in Hebraeis codicibus responderunt, quod et Graeci et Latini habebant atque dicebant? Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere volens post magnum periculum non remanere sine plebe. Unde etiam nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse."

VII 22 Dicis me in Jona propheta male quiddam interpretatum et seditione populi conclamante propter unius verbi dissonantiam episcopum paene sacerdotium perdidisse. Et quid sit illud, quod male interpretatus sim, subtrahis auferens mihi occasionem defensionis meae, ne, quicquid dixeris, me respondente solvatur, nisi forte ut ante annos plurimos cucurbita venit in medium adserente illius temporis Cornelio et Asinio Pollione me „hederam" pro „cucurbita" transtulisse. Super qua re in commentario Jonae prophetae plenius respondimus hoc tantum nunc dixisse contenti, quod in eo loco, ubi Septuaginta interpretes „cucurbitam" et Aquila cum reliquis „hederam" transtulerunt, id est κιττόν, in Hebraeo volumine „ciceion" scriptum habet, quam vulgo Syri „ciceiam" vocant; est autem genus virgulti lata habens folia in modum pampini cumque plantatum fuerit, cito consurgit in arbusculam absque ullis calamorum et hastilium adminiculis, quibus et cucurbitae et hederae indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum de verbo edisserens si „ciceion" transferre voluissem, nullus intellegeret, si „cucurbitam", id dicerem, quod in Hebraico non habetur; „hederam" posui, ut ceteris interpretibus consentirem. Sin autem Judaei vestri, ut ipse adseris, malitia vel inperitia hoc dixerunt esse in voluminibus Hebraeorum, quod in Graecis et Latinis codicibus con-

1 Oea] ea *plurimi Codd, Edd priores*; Oea *Goldb. et Hilberg ex coni. Reinharti*; *cf. p.* 42, 35.

7 sqq. ad cp. 7, 22 cf. *A. Fournier (Rev. d' hist. des religions XXXI [1895] 254—269).*

11—14 cf. Hier. comm. in Jon 4, 6 (PL 25, 1147): „In hoc loco quidam Cantherius [graece κανθήλιος, equus castratus] de antiquissimo genere Corneliorum sive, ut ipse iactat, de stirpe Asinii Pollionis, dudum Romae dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita hederam transtulerim: timuit videlicet, ne si pro cucurbitis hederae nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet, non haberet"; Apol. adv. Ruf. III 30 (PL 23, 421). Asinius Pollio, scriptor Romanus, librorum Caesaris, Sallustii et praesertim Ciceronis acer criticus; cf. *Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I 1589—1603.* Rufinus quoque inter reprehensores „hederae" fuit; cf. Apol. in Hier. II 35 [PL 21, 614]). 15 sq. graece κολόκυνθα.

16 sq. Secundum codicem Barberinum Hexaplorum Aquila et Theodotio κυκεῶνα interpretati sunt (PL 22, 930, n. c.).

17 sq. קִיקָיוֹן, aegyptiace κίκι (Herod. II 94; Plinius, Nat. hist. XV 7; XXIII 41), i. e. ricinus communis.

21—23 Sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat (Hier., Comm. in Jon 4, 6 [PL 25, 1148]).

tinetur, manifestum est eos aut Hebraeas litteras ignorare aut ad inridendos cucurbitarios voluisse mentiri. Peto in fine epistulae, ut quiescentem senem olimque veteranum militare non cogas et rursum de vita periclitari. Tu, qui iuvenis es et in pontificali culmine constitutus, doceto populos et novis Africae frugibus Romana tecta locupleta. Mihi sufficit cum auditore ac lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare.

Epistula Hieronymi 115 (Aug. 81).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus in Christo salutem.

Cum a sancto fratre nostro sollicite quaererem, quid ageres, sospitem te laetus audivi. Rursum cum tuas litteras non dico sperarem, sed exigerem, nesciente te de Africa profectum esse se dixit. Itaque reddo tibi per eum salutationis officia, qui te unico amore complectitur, simulque obsecro, ut ignoscas pudori meo, quod diu praecipienti, ut rescriberem, negare non potui. Nec ego tibi, sed causae causa respondit. Et si culpa est respondisse — quaeso, ut patienter audias —, multo maior est provocasse. Sed facessant istius modi quaerimoniae; sit inter nos pura germanitas et deinceps non quaestionum, sed caritatis ad nos scripta mittamus. Sancti fratres, qui nobiscum Domino serviunt, affatim te salutant. Sanctos, qui tecum Christi leve trahunt iugum, praecipue sanctum et suscipiendum papam Alypium ut meo obsequio salutes, precor. Incolumem te et memorem mei Christus Deus noster tueatur omnipotens, domine vere sancte et beatissime papa.

Si legisti librum explanationum in Jonam, puto, quod ridiculam cucurbitae non recipias quaestionem. Sin autem amicus, qui me primus gladio petiit, stilo repulsus est, sit humanitatis tuae atque iustitiae accusantem reprehendere, non respondentem. In Scripturarum, si placet, campo sine nostro invicem dolore ludamus.

---

6 ac] vel *Hilberg.* 11 nostro] *add* Firmo *Goldb. cum prioribus Edd. Invenitur vero solummodo in uno Cod. Mus. Brit. Reg. 5 D VI saec. XI.—XII. ex coniectura proclivi (cf. p. 74, 10), sed non necessaria, quam secuti sunt editores; om Hilberg.*

---

1 sq. Judaei dispersionis linguae Hebraicae plerumque imperiti erant; cf. *E. Schürer, Gesch. d. jüd. Volkes*[4] *III (Lipsiae 1909) 140—142.*

2 cucurbitarii: verbum aliter non adhibitum, ab Hieronymo fictum.

2—4 cf. p. 45, 10 sq. 4 cf. p. 40, 6; 46, 22 sq. 5 sq. cf. p. 45, 5 sq.

18—21 cf. p. 124, 22 sq. 21 cf. Mt 11, 30.

25 sq. cf. p. 72, 7 sqq. 26—28 cf. p. 74, 10—12.

28 sq. = p. 74, 24 sq.; cf. ep. 122, 4 ad Rusticum (*ed. Hilberg* III 69): quasi per pulcherrima Scripturarum prata discurrens.

Epistula Augustini 82 (Hier. 116).

Augustinus ad Hieronymum.

Domino dilectissimo et in Christi visceribus honorando sancto fratri et conpresbytero Hieronymo Augustinus in Domino salutem.

I 1 Jam pridem tuae caritati prolixam epistulam misi respondens illi tuae, quam per sanctum filium tuum Asterium nunc iam non solum fratrem, verum etiam collegam meum misisse te recolis. Quae utrum in manus tuas pervenire meruerit, adhuc nescio, nisi quod per fratrem sincerissimum Firmum scribis, si ille, qui te primum gladio petiit, stilo repulsus est, ut sit humanitatis meae atque iustitiae accusantem reprehendere, non respondentem. Hoc solo tenuissimo indicio utcumque conicio legisse te illam epistulam meam. In ea quippe deploravi tantam inter vos extitisse discordiam, de quorum tanta amicitia, quaqua versum eam fama diffuderat, caritas fraterna gaudebat. Quod non feci reprehendendo germanitatem tuam, cuius in ea re aliquam culpam me cognovisse non ausim dicere, sed dolendo humanam miseriam, cuius in amicitiis mutua caritate retinendis, quanta libet illa sit, incerta permansio est. Verum illud malueram tuis nosse rescriptis, utrum mihi veniam, quam poposceram, dederis. Quod apertius mihi intimari cupio, quamvis hilarior quidam vultus litterarum tuarum etiam hoc me impetrasse significare videatur, si tamen post lectam illam missae sunt, quod in eis minime apparet.

2 Petis vel potius fiducia caritatis iubes, ut in Scripturarum campo sine nostro invicem dolore ludamus. Equidem, quantum ad me adtinet, serio nos ista quam ludo agere mallem. Quod si hoc verbum tibi propter facilitatem ponere placuit, ego fateor maius aliquid expeto a benignitate virium tuarum prudentiaque tam docta et otiosa, annosa, studiosa, ingeniosa diligentia haec tibi non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu Sancto, ut in magnis et laboriosis quaestionibus non tamquam ludentem in campo Scripturarum, sed in montibus anhelantem adiuves. Si autem propter hilaritatem, quam esse inter carissimos disserentes decet, putasti dicendum esse „ludamus“, sive illud apertum et planum sit, unde conloquimur, sive arduum atque difficile, hoc ipsum edoce, obsecro te, quonam modo adsequi valeamus, ut, cum forte aliquid nos movet, quod nobis etsi non cautius adtendentibus, certe tardius

---

3 cf. Phil. 1, 8. 10—12 = p. 73, 26—28.
13—19 cf. p. 49, 30—51, 13. 19 sq. cf. p. 51, 28—30.
24 sq. = p. 73, 28 sq.

intellegentibus non probatum est, et, quid nobis videatur, contra conamur adserere, si hoc aliquanto securiore libertate dicamus, non incidamus in suspicionem puerilis iactantiae, quasi nostro nomini famam viros inlustres accusando quaeramus, si autem aliquid asperum refellendi necessitate depromptum, quo tolerabile fiat, leniore circumfundamus eloquio, litum melle gladium stringere iudicemur, nisi forte ille modus est, quo utrumque hoc vitium vel vitii suspicionem caveamus, si cum doctiore amico sic disputemus, ut, quicquid dixerit, necesse sit adprobare nec quaerendi saltem causa liceat aliquantulum reluctari.

Tum vero sine ullo timore offensionis tamquam in campo luditur, 3
sed mirum si nobis non inluditur. Ego enim — fateor caritati tuae — solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid firmissime credam ac, si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non adsecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quanta libet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo; prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tamquam prophetarum vel apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc a pia humilitate et veraci de temet ipso cogitatione, qua nisi esses praeditus, non utique diceres: „Utinam mereremur conplexus tuos et conlatione mutua vel doceremus aliqua vel disceremus."

Quod si te ipsum consideratione vitae ac morum tuorum non II 4
simulate, non fallaciter dixisse credo, quanto magis aequum est me

2—4 cf. p. 39, 27—40, 1. 6 = p. 44, 29 sq. 8 cf. p. 42, 13 sq.

12—18 cf. Aug. ep. 147, 4 (*ed. Goldb.* III 278); c. Faust. Manich. XI 5 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 320 sq.]); ep. 143, 7 (*ed. Goldb.* III 257 sq.): Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest; ep. 93, 35 (*ed. Goldb.* II 480); de bapt. c. Donatist. II 1, 3 (*ed. M. Petschenig* [CSEL 51, 45 sq.]); p. 29, 20—30, 7; 76, 20—26; 77, 7—11.

13 sq. cf. p. 88, 4. Ex saec. IV. „canone" collectio librorum inspiratorum designari coepit, antea vero norma fidei et morum in sacris litteris invenienda (cf. Isidor. Pelus., ep. IV 114 [PG 78, 1185] τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας, τὰς θείας γραφάς, κατοπτεύσωμεν) sive libri in ecclesia ut divini agniti (cf. Athan., ep. fest. 39, 2 [PG 26, 1176]: τὰ κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία); cf. ex altera parte Hier., Prol. galeat. (PL 28, 556): „Sapienta . . . non sunt in canone"; Aug., De doctr. christ. II 8 (PL 34, 41): „Totus autem canon Scripturarum . . . his libris continetur"; infra p. 86, 22. *Cf. ad rem e. gr. Th. Zahn, Grundriß d. Gesch. des Neutest. Kanons (Lipsiae 1904) 1—11.*

26 sq. = p. 40, 11 sq.

credere apostolum Paulum non aliud sensisse, quam scripserit, ubi ait de Petro et Barnaba: Cum viderem, quia non recte ingrediuntur ad veritatem evangelii, dixi Petro coram omnibus: „Si tu, cum sis Judaeus, gentiliter et non Judaice vivis, quo modo gentes cogis iudaizare?“ De quo enim certus sim, quod me scribendo vel loquendo non fallat, si fallebat apostolus filios suos, quos iterum parturiebat, donec in eis Christus, id est veritas formaretur, quibus cum praemisisset dicens: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, non tamen veraciter scribebat, sed nescio qua dispensatoria simulatione fallebat, vidisse se Petrum et Barnabam non recte ingredientes ad veritatem evangelii ac Petro in faciem restitisse non ob aliud, nisi quod gentes cogeret iudaizare?

5 At enim satius est credere apostolum Paulum aliquid non vere scripsisse, quam apostolum Petrum non recte aliquid egisse. Hoc si ita est, dicamus — quod absit — satius esse credere mentiri evangelium, quam negatum esse a Petro Christum, et mentiri Regnorum librum, quam tantum prophetam a Domino Deo tam excellenter electum et in concupiscenda atque abducenda uxore aliena commisisse adulterium et in marito eius necando tam horrendum homicidium. Immo vero Sanctam Scripturam in summo et caelesti auctoritatis culmine conlocatam de veritate eius certus ac securus legam et in ea homines vel adprobatos vel emendatos vel damnatos veraciter discam potius, quam, facta humana dum in quibusdam laudabilis excellentiae personis aliquando credere timeo reprehendenda, ipsa divina eloquia mihi sint ubique suspecta.

6 Manichaei plurima divinarum Scripturarum, quibus eorum nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate convincitur, quia in alium sensum detorquere non possunt, falsa esse contendunt, ita tamen, ut eandem falsitatem non scribentibus apostolis tribuant, sed nescio quibus codicum corruptoribus. Quod tamen quia nec pluribus sive antiquioribus exemplaribus nec praecedentis linguae auctoritate, unde Latini libri interpretati sunt, probare aliquando potuerunt,

---

2—5 *Gal 2, 14. 5—14 cf. p. 33, 15—21.
7 sq. Gal 4, 19; cf. 1 Joh 5, 6; Joh 14, 6. 8 sq. Gal 1, 20.
12 cf. Gal 2, 11. 17 cf. Mt 26, 69—75. 17 cf. 2 Sam 11, 2—17.
20—26 cf. p. 29, 20—30, 7.

27—77, 1 Manichaei Veteris Testamenti libros omnino reiecerunt, Novi Testamenti libros partim (ut Actus Apostolorum) spurios, partim interpolatos esse contenderunt; cf. imprimis Aug. c. Faustum Manichaeum (*ed. J. Zycha* [CSEL 25, 1, 251—797]); *A. Bludau, Die Schriftfälschungen der Häretiker (Neutest. Abh. XI 5, Monasterii 1925) 71—74.*

31—77, 1 cf. Aug. c. Faust. Manich. XI 2 (*ed. J. Zycha* [CSEL 25, 1, 314—316]); de util. cred. 7 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 9 sq.]).

notissima omnibus veritate superati confusique discedunt. Itane non intellegit sancta prudentia tua, quanta malitiae illorum patescat occasio, si non ab aliis apostolicas litteras esse falsatas, sed ipsos apostolos falsa scripsisse dicamus?

„Non est", inquis, „credibile hoc in Petro Paulum, quod ipse Paulus 7
fecerat, arguisse". Non nunc quaero, quid fecerit; quid scripserit, quaero. Hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet, ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata non a quibuslibet sed ab ipsis apostolis ac per hoc in canonicum auctoritatis culmen recepta ex omni parte verax atque indubitanda persistat. Nam si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus est Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem evangelii. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit et ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est, quod Petrus non recte tunc ingrediebatur ad veritatem evangelii; id ergo faciebat, quod facere non debebat. Et si tale aliquid Paulus ipse iam fecerat, correctum potius etiam ipsum credam coapostoli sui correctionem non potuisse neglegere, quam mendaciter aliquid in sua epistula posuisse et epistula qualibet, quanto magis in illa, in qua praelocutus ait: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

Ego quidem illud Petrum sic egisse credo, ut gentes cogeret iudaizare. 8
Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo. Et ideo non recte agebat hoc Petrus; erat enim contra evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus sacramentis salvos se esse non posse. Hoc enim contendebant Antiochiae, qui ex circumcisione crediderant, contra quos Paulus perseveranter acriterque confligit. Ipsum vero Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit vel Cenchris votum persolvit vel Hierosolymis a Jacobo admonitus cum eis, qui voverant, legitima illa celebranda suscepit, ut putari videretur per ea sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, quae prioribus, ut congruebat, temporibus in umbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tamquam idolatriam gentilium damnare crederetur. Hoc est enim, quod illi Jacobus ait auditum de illo esse, quod discissionem doceat a Moyse, quod utique nefas est, ut credentes in Christum discindantur a propheta Christi tamquam eius doctrinam detestantes atque damnantes, de quo

5 sq. cf. p. 55, 14 sq.; Hier. comm. in Pauli ep. ad Gal 2, 11 sqq. (PL 26, 339). 7—11 cf. p. 29, 20—30, 7; 75, 12—18; 76, 20—26. 21 sq. Gal 1, 20. 24 cf. August. comm. ad Gal 2, 11 sqq. (PL 35, 2114); infra p. 88, 20—22. 30—32 cf. Act 16, 3; 18, 18; 21, 18—26. 34 cf. Col 2, 17; Hebr 10, 1. 35 sq. cf. Act 21, 21.

ipse Christus dicit: Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit.

9 Adtende enim, obsecro, ipsa verba Jacobi: Vides, inquit, frater, quot milia sunt in Judaea, qui crediderunt in Christum, et hi omnes aemulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discissionem doces a Moyse eorum, qui per gentes sunt, Judaeorum dicens non debere circumcidere eos filios suos neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem; audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quattuor votum habentes super se. His adsumptis sanctifica te cum ipsis et inpende in eos, ut radant capita, et scient omnes, quia, quae de te audierunt, falsa sunt, sed sequeris et ipse custodiens legem. De gentibus autem, qui crediderunt, nos mandavimus iudicantes nihil eius modi servare illos, nisi ut observent ab idolis immolato et a sanguine et a fornicatione. Non, ut opinor, obscurum est et Jacobum hoc ideo monuisse, ut scirent falsa esse, quae de illo audierant hi, qui, cum in Christum ex Judaeis credidissent, tamen aemulatores erant legis, ne per doctrinam Christi velut sacrilega nec Deo mandante conscripta damnari putarentur, quae per Moysen patribus fuerant ministrata. Hoc enim de Paulo iactaverant non illi, qui intellegebant, quo animo a Judaeis fidelibus observari tunc ista deberent propter commendandam scilicet auctoritatem divinam et sacramentorum illorum propheticam sanctitatem, non propter adipiscendam salutem, quae iam in Christo revelabatur et per baptismi sacramentum ministrabatur, sed illi hoc de Paulo sparserant, qui sic ea volebant observari, tamquam sine his in evangelio salus credentibus esse non posset. Ipsum enim senserant vehementissimum gratiae praedicatorem et intentioni eorum maxime adversum docentem non per illa hominem iustificari, sed per gratiam Jesu Christi, cuius praenuntiandae causa illae umbrae in lege mandatae sunt. Et ideo illi invidiam et persecutionem concitare molientes tamquam inimicum legis mandatorumque divinorum criminabantur, cuius falsae criminationis invidiam congruentius devitare non posset, quam ut ea ipse celebraret, quae damnare tamquam sacrilega putabatur, atque ita ostenderet nec Judaeos tunc ab eis tamquam a nefariis prohibendos nec gentiles ad ea tamquam ad necessaria compellendos.

---

1 sq. *Joh 5, 46. 3 sqq. *Act 21, 20—25.

20—22 cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 514]).

37—39 cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17; de mendac. 8 (*ed. Zycha* 422): Paulus . . . praedicavit nec gentibus prodesse circumcisionem nec Judaeis obesse.

Nam si re vera sic ea reprobaret, quem ad modum de illo auditum erat, et ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam, non ei diceret Jacobus: Et scient omnes, sed diceret „et putabunt omnes", quoniam, quae de te audierunt, falsa sunt, praesertim quia in ipsis Hierosolymis apostoli iam decreverant, ne quisquam gentes cogeret iudaizare, non autem decreverant, ne quisquam tunc Judaeos iudaizare prohiberet, quamvis etiam ipsos iam doctrina Christiana non cogeret. Proinde, si post hoc apostolorum decretum Petrus habuit illam in Antiochia simulationem, qua gentes cogeret iudaizare, quoniam nec ipse cogebatur, quamvis propter commendanda eloquia Dei, quae Judaeis sunt credita, non prohibebatur, quid mirum, si constringebat eum Paulus libere adserere, quod cum ceteris apostolis se Hierosolymis decrevisse meminerat?

Si autem hoc, quod magis arbitror, ante illud Hierosolymitanum 11
concilium Petrus fecit, nec sic mirum est, quod eum volebat Paulus non timide obtegere, sed fidenter adserere, quod eum pariter sentire iam noverat, sive quod cum eo contulerat evangelium sive quod in Cornelii centurionis vocatione etiam divinitus eum de hac re admonitum acceperat sive quod ante, quam illi, quos timuerat, venissent Antiochiam, cum gentibus eum convesci viderat. Neque enim negamus in hac sententia fuisse iam Petrum, in qua et Paulus fuit. Non itaque tunc eum, quid in ea re verum esset, docebat, sed eius simulationem, qua gentes iudaizare cogebantur, arguebat non ob aliud, nisi quia sic illa omnia simulatoria gerebantur, tamquam verum esset, quod dicebant illi, qui sine circumcisione praeputii atque aliis observationibus umbrae futurorum putabant credentes salvos esse non posse.

Ergo et Timotheum propterea circumcidit, ne Judaeis et maxime 12
cognationi eius maternae sic viderentur, qui ex gentibus in Christum crediderant, detestari circumcisionem, sicut idolatria detestanda est, cum illam Deus fieri praeceperit, hanc satanas persuaserit; et Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis, qui sine illa circum-

---

3—5 *Act 21, 24. 5—7 cf. Act 15, 28. 11 cf. Rom 3, 2.

15—17 Eandem sententiam, concilium apostolorum Hierosolymitanum (Act 15) post Antiochenam controversiam habitum esse, Aug. iam, et quidem maiore certitudine, c. Faustum XIX 17 (*ed. Zycha 515*) pronuntiavit. Haud recte. Cf. ad hanc quaestionem e. g. *A. Steinmann, Die Abfassungszeit des Galaterbriefes (Monasterii 1906) et Bibl. Zeitschrift V 392—402; VI 30—48*; cf. p. 59, 34 sq.

18 cf. Gal 2, 2. 19 sq. cf. Act 10, 9—16. 20 sq. cf. Gal 2, 12. 27 cf. Col 2, 17; Hebr 10, 1.

29—31 cf. Act 16, 1—3; ad cp. 12 cf. Aug. comm. ad Gal 2, 3 (PL 35, 2111 sq.); de mendac. 8 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 423]); c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 514 sq.]).

cisione dicebant credentes salvos esse non posse, et ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire iactarent. Quod ipse satis significat, ubi ait: Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Graecus, compulsus est circumcidi, propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierant perscrutari libertatem nostram, ut nos in servitutem redigerent, quibus nec ad horam cessimus subiectione, ut veritas evangelii permaneat ad vos. Hic apparet, quid eos captare intellexerit, ut non faceret, quod in Timotheo fecerat, quod ea libertate facere poterat, qua ostenderet illa sacramenta nec tamquam necessaria debere appeti nec tamquam sacrilega debere damnari.

13 Sed cavendum est videlicet in hac disputatione, ne sicut philosophi quaedam facta hominum media dicamus inter recte factum et peccatum, quae neque in recte factis neque in peccatis numerentur, et urgeamur eo, quod observare legis caeremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum aut malum, ut, si bonum dixerimus, eas nos quoque observare cogamur, si autem malum, non vere, sed simulate ab apostolis abservatas esse credamus. Ego vero apostolis non tam exemplum philosophorum timeo, quando et illi in sua disputatione veri aliquid dicunt, quam forensium advocatorum, quando in alienarum causarum actione mentiuntur. Quorum similitudo si in ipsa expositione epistulae ad Galatas ad confirmandam simulationem Petri et Pauli putata est decenter induci, quid ego apud te timeam nomen philosophorum, qui non propterea vani sunt, quia omnia falsa dicunt, sed quia et falsis plerisque confidunt et, ubi vera inveniuntur dicere, a Christi gratia, qui est ipsa veritas, alieni sunt?

3—8 *Gal 2, 3—5.

8—11 cf. Aug. comm. ad Gal 2, 3 (PL 35, 2111): Quamvis Titus Graecus esset, et nullo eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facile tamen etiam istum circumcidi permisisset apostolus. Non enim tali circumcisione salutem docebat auferri, sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluam aequo animo tolerare, secundum sententiam, quam alibi dixit: Circumcisio nihil... (1 Cor 7, 19). Propter subintroductos autem falsos fratres non est compulsus Titus circumcidi.

12—16 cf. p. 67, 3—9 et Aug. priorem sententiam de lib. arb. III 23, 66 (PL 32, 1304), infra p. 110, 35—37, nota.

20—23 cf. Hier. comm. in Pauli ep. ad Gal 2, 11 sqq. (PL 26, 340): Aliquoties cum adulescentulus Romae controversias declamarem, et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut omissis saepe negotiis in proprias contumelias verterenter, et ioculari se invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt.. et fallunt populum circumstantem: quid putamus tantas ecclesiae columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiae inter dissidentes Judaeos atque gentiles facere debuisse?

26 cf. Joh 14, 6; 1 Joh 5, 6.

Cur autem non dicam praecepta illa veterum sacramentorum nec 14
bona esse, quia non eis homines iustificantur — umbrae sunt enim praenuntiantes gratiam, qua iustificamur —, nec tamen mala, quia divinitus praecepta sunt tempori personisque congruentia, cum me adiuvet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse praecepta non bona? Forte enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant aut sine illis boni non fiant. Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrum simulate quisquam sanctus orientalis, cum Romam venerit, ieiunet sabbato illo die paschalis vigiliae. Quod si malum esse dixerimus, non solum Romanam ecclesiam, sed etiam multa ei vicina et aliquanto remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur et manet. Si autem non ieiunare sabbato malum putaverimus, tot ecclesias orientis et multo maiorem orbis Christiani partem qua temeritate criminabimur! Placetne tibi, ut medium quiddam esse dicamus, quod tamen acceptabile sit ei, qui hoc non simulate, sed congruenti societate atque observantia fecerit? Et tamen nihil inde legimus in canonicis libris praeceptum esse Christianis. Quanto magis illud malum dicere non audeo, quod Deum praecepisse ipsa Christiana fide negare non possum, qua didici non eo me iustificari sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum!

Dico ergo circumcisionem praeputii et cetera huius modi priori 15
populo per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus data ad significationem futurorum, quae per Christum oportebat impleri. Quibus advenientibus remansisse illa Christianis legenda tantum ad intellegentiam praemissae prophetiae, non autem necessario facienda, quasi adhuc expectandum esset, ut veniret fidei revelatio, quae his significabatur esse ventura. Sed quamvis gentibus inponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri a consuetudine Judaeorum tamquam detestanda atque damnanda. Sensim proinde atque paulatim fervente sane praedicatione gratiae Christi, qua sola nossent credentes se iustificari salvosque fieri, non illis umbris rerum ante futurarum tunc iam venientium atque praesentium, ut in illorum Judaeorum vocatione, quos praesentia carnis Domini et apostolica tempora sic invenerant,

---

2 sq. cf. Col 2, 17; Hebr 10, 1. 5 sq. cf. Ezech 20, 25.
8—14 cf. p. 66, 8—12. 19 sq. cf. Rom 3, 24; 7, 25.
27—29 cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 514]): Magis quippe noxium erat ea tamquam noxia prohibere in his hominibus, usque ad quos durare debuerunt, quoniam Christus, qui omnes illa sprophetias inplere venerat, sic eos initiatos invenerat.
29 sqq. cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* 514): Quod primis Christianis, qui ex Judaeis crediderant, donec contra tam diuturnam consuetudinem paulatim persuaderetur atque ad intellectum perfectum perduceretur, et quia ita nati erant atque instituti, siverunt eos apostoli patrium ritum traditionemque servare.

omnis illa actio consumeretur umbrarum, hoc ei suffecisse ad commendationem, ut non tamquam detestanda et similis idolatriae vitaretur, ultra vero non haberet progressum, ne putaretur necessaria, tamquam vel ab illa salus esset vel sine illa esse non posset, quod putaverunt haeretici, qui, dum volunt et Judaei esse et Christiani, nec Judaei nec Christiani esse potuerunt. Quorum sententiam mihi cavendam, quamvis in ea numquam fuerim, tamen benivolentissime admonere dignatus es. In cuius sententiae non consensionem, sed simulationem timore Petrus inciderat, ut de illo Paulus verissime scriberet, quod eum vidisset non recte ingredientem ad veritatem evangelii, eique verissime diceret, quod gentes iudaizare cogebat. Quod Paulus utique non cogebat ob hoc illa vetera veraciter, ubi opus esset, observans, ut damnanda non esse monstraret, praedicans tamen instanter non eis, sed revelata gratia fidei salvos fieri fideles, ne ad ea quemquam velut necessaria suscipienda compelleret. Sic autem credo apostolum Paulum veraciter cuncta illa gessisse nec tamen nunc quemquam factum ex Judaeo Christianum vel cogo vel sino talia veraciter celebrare, sicut nec tu, cui videtur Paulus ea simulasse, cogis istum vel sinis talia simulare.

16 An vis, ut etiam ego dicam hanc esse summam quaestionis, immo sententiae tuae, ut post evangelium Christi bene faciant credentes Judaei, si sacrificia offerant, quae obtulit Paulus, si filios circumcidant, si sabbatum observent, ut Paulus in Timotheo et omnes observavere Judaei, dum modo haec simulate ac fallaciter agant? Hoc si ita est, non iam in haeresin Hebionis vel eorum, quos vulgo Nazaraeos nuncupant, vel quamlibet aliam veterem, sed in nescio quam novam delabimur, quae sit eo perniciosior, quo non errore, sed proposito est ac voluntate fallaci. Quod si respondes, ut te ab hac purges sententia, tunc apostolos ista laudabiliter simulasse, ne scandalizarenter infirmi, qui ex Judaeis multi crediderant et ea respuenda nondum intellegebant, nunc vero confirmata per tot gentes doctrina gratiae Christianae, confirmata etiam per omnes Christi ecclesias lectione legis et prophetarum, quo modo haec intellegenda, non observanda recitentur, quisquis ea simulando agere voluerit, insanire, cur mihi non licet dicere apostolum Paulum et alios rectae fidei Christianos tunc illa vetera sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse, ne putarentur illae propheticae significationis observationes a piissimis patribus custoditae tamquam sacrilegia diabolica a posteris detestatae?

4—16 cf. p. 63, 24—64, 11. 6—8 cf. p. 63, 24—27.

11—15 cf. Aug. comm. ad Gal 2, 3 (PL 35, 2111); p. 80, 8—11; comm. ad Gal 6, 15 (PL 35, 2147): Servat usque in finem illam indifferentiam, ne quis eum putaret vel in Timothei circumcisione simulate aliquid egisse, vel in cuiusquam agere, si forte aliqua talis causa exstitisset. Ostendit enim non ipsam circumcisionem obesse aliquid credentibus, sed spem salutis in talibus observationibus constitutam.

19—23 = p. 63, 20—24. 23 sqq. cf. p. 67, 13—15. 24 sq. cf. p. 63, 28—64, 6.

Jam enim cum venisset fides, quae prius illis observationibus praenuntiata post mortem et resurrectionem Domini revelata est, amiserant tamquam vitam officii sui. Verum tamen sicut defuncta corpora necessariorum deducenda erant quodam modo ad sepulturam nec simulate, sed religiose, non autem deserenda continuo vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus proicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judaeis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sopitos cineres eruens non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturae violator.

Fateor sane in eo, quod epistula mea continet, quod ideo sacramenta 17
Judaeorum Paulus celebranda susceperat, cum iam Christi esset apostolus, ut doceret non esse perniciosa his, quia ea vellent, sicut a parentibus per legem acceperant, custodire, minus me posuisse „illo dum taxat tempore, quo primum fidei gratia revelata est"; tunc enim hoc non erat perniciosum. Progressu vero temporis illae observationes ab omnibus Christianis desererentur, ne, si tunc fierent, non discerneretur, quod Deus populo suo per Moysen praecepit, ab eo, quod in templis daemoniorum spiritus immundus instituit. Proinde potius culpanda est neglegentia mea, quia hoc non addidi, quam obiurgatio tua. Verum tamen longe ante, quam tuas litteras accepissem, scribens contra Faustum Manichaeum quo modo eundem locum quamvis breviter explicaverim et hoc illic non praetermiserim, et legere poterit, si non dedignetur, benignitas tua et a carissimis nostris, per quos haec scripta nunc misi, quo modo volueris, tibi fides fiat illud me ante dictasse. Mihique de animo meo crede, quod coram Deo loquens iure caritatis exposco, numquam mihi visum fuisse etiam nunc Christianos ex Judaeis factos sacramenta illa vetera quolibet affectu, quolibet animo celebrare debere aut eis ullo modo licere, cum illud de Paulo semper ita senserim, ex quo illius mihi litterae innotuerunt, sicut nec tibi videtur hoc tempore cuiquam ista esse simulanda, cum hoc fecisse apostolos credas.

Proinde, sicut tu e contrario loqueris et licet reclamante, sicut scribis, 18
mundo libera voce pronuntias caeremonias Judaeorum et perniciosas esse et mortiferas Christianis et, quicumque eas observaverit sive ex Judaeis sive ex gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum, ita ego hanc vocem tuam omnino confirmo et addo: quicumque eas observaverit non solum veraciter, verum etiam simulate, eum in barathrum diaboli devolutum. Quid quaeris amplius? Sed sicut tu simulationem apostolorum ab huius

1—2 cf. Gal 3 23 sq. 3—7 cf. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* 514).
6 cf. Mt 7, 6. 10—13 = p. 34, 9—14.
19 sqq. Aug. c. Faust. Manich. XIX 17 (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 514—516]). Hoc opus Augustini scriptum est circa a. 400.
32—37 = p. 64, 25—28.

temporis ratione secernis, ita ego Pauli apostoli veracem tunc in his omnibus conversationem ab huius temporis quamvis minime simulata caeremoniarum Judaicarum observatione secerno, quoniam tunc fuit adprobanda, nunc detestanda. Ita quamvis legerimus: Lex et prophetae usque ad Johannem Baptistam et quia propterea quaerebant Judaei Christum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo, et quia gratiam pro gratia accepimus et quoniam lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est et per Hieremiam promissum est daturum Deum testamentum novum domui Juda non secundum testamentum, quod disposuit patribus eorum, non tamen arbitror ipsum Dominum fallaciter a parentibus circumcisum. Aut, si hoc propter aetatem minime prohibebat, nec illud arbitror eum dixisse fallaciter leproso, quem certe non illa per Moysen praecepta observatio, sed ipse mundaverat: Vade et offer pro te sacrificium, quod praecepit Moyses in testimonium illis; nec fallaciter ascendit ad diem festum usque adeo non causa ostentationis coram hominibus, ut non evidenter ascenderit, sed latenter.

19 20 At enim dixit idem apostolus: Ecce ego Paulus dico vobis, quia, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Decepit ergo Timotheum et fecit ei nihil prodesse Christum. An, quia hoc fallaciter factum est, ideo non offuit? At ipse hoc non posuit nec ait „si circumcidamini veraciter" sicut nec „fallaciter", sed sine ulla exceptione dixit: Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Sicut ergo tu vis hic locum dare sententiae tuae, ut velis subintellegi „nisi fallaciter", ita non inpudenter flagito, ut etiam nos illic intellegere sinas eis dictum „si circumcidamini", qui propterea volebant circumcidi, quod aliter se putabant in Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo, hac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei omnino nihil proderat, sicut alibi aperte dicit: Nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis

---

4—13 = p. 64, 31—65, 13. 4 sq. *Lc 16, 16. 5—8 Joh 5, 18.
8—10 Joh 1, 16 sq. 10—13 cf. Jer 31 (38) 31 sq.
14—17 *Mc 1, 40—44; cf. Lev 14, 2—32.
17—19 cf. Joh 7, 10. 20 sq. *Gal 5, 2.
27—30 cf. Aug. comm. ad Gal 5, 2 (PL 35, 2134): Christum autem nihil eis profuturum esse dicit, si circumcidantur; sed illo modo, quo eos isti (sc. Judaistae) volebant circumcidi, id est, ut in carnis circumcisione ponerent spem salutis. Non enim Timotheo no profuit Christus, quia Paulus ipse illum iam Christianum iuvenem circumcidit; fecit autem hoc propter scandalum suorum (Act 16, 3), nihil simulans omnino, sed ex illa indifferentia, qua dicit: Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est (1 Cor 7, 19). Nihil enim obest illa circumcisio ei, qui salutem in illa esse non credit. 32 sq. *Gal 2, 21.

mortuus est. Hoc declarat et quod ipse commemorasti: Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini; a gratia excidistis. Illos itaque arguit, qui se iustificari in lege credebant, non qui legitima illa in eius honore, a quo mandata sunt, observabant intellegentes, et quia praenuntiandae veritatis ratione mandata sint et quo usque debeant perdurare. Unde est illud, quod ait: Si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege, unde, velut colligis, apparere, qui sub lege est, non dispensative, ut nostros putas voluisse maiores, sed vere, ut ego intellego, eum Sanctum Spiritum non habere.

Magna mihi videtur quaestio, quid sit esse sub lege sic, quem ad modum apostolus culpat. Neque enim hoc eum propter circumcisionem arbitror dicere aut illa sacrificia, quae tunc facta a patribus nunc a Christianis non fiunt, et cetera eius modi, sed hoc ipsum etiam, quod lex dicit: Non concupisces, quod fatemur certe Christianos observare, debere atque evangelica maxime inlustratione praedicare. Legem dicit esse sanctam et mandatum sanctum et iustum et bonum. Deinde subiungit: Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum. Quod autem hic dicit peccatum per mandatum fieri supra modum, hoc alibi: Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia; et alibi, cum superius de dispensatione gratiae loqueretur, quod ipsa iustificet, velut interrogans ait: Quid ergo lex? Atque huic interrogationi continuo respondit: Praevaricationis gratia posita est, donec veniret semen, cui promissum est. Hos ergo damnabiliter dicit esse sub lege, quos reos facit lex non inplentes legem, dum non intellegendo gratiae beneficium ad facienda Dei praecepta quasi de suis viribus superba elatione praesumunt. Plenitudo enim legis caritas; caritas vero Dei diffusa est in cordibus nostris non per nos ipsos, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Sed huic rei, quantum satis est, explicandae prolixus fortasse et sui proprii voluminis sermo debetur. Si ergo illud, quod lex ait: Non concupisces, si humana infirmitas gratia Dei adiuta non fuerit, sub se reum tenet et praevaricatorem potius damnat, quam liberat peccatorem, quanto magis illa, quae significationis causa praecepta sunt, circumcisio et cetera, quae gratiae revelatione latius innotescente necesse fuerat aboleri, iustificare neminem poterant! Non tamen ideo fuerant tamquam diabolica gentium sacrilegia fugienda,

1—3 cf. p. 65, 20—22; Gal 5, 4. 6 sq. *Gal 5, 18.
6—9 cf. p. 65, 22—24. 14 Exod. 20, 17; Deut 5, 21; Rom 7, 7; 13, 9.
15 sq. cf. Rom 7, 12. 17 sqq. *Rom 7, 13. 21—23 *Rom 5, 20.
24—26 *Gal 3, 19. 30—32 *Rom 13, 10; 5, 5.

etiam cum ipsa gratia iam coeperit revelari, quae umbris talibus fuerat praenuntiata, sed permittenda paululum eis maxime, qui ex illo populo, cui data sunt, venerant, postea vero, tamquam cum honore sepulta sint, a Christianis omnibus inreparabiliter deserenda.

21 Hoc autem, quod dicis „non dispensative, ut nostri voluere maiores", quid sibi vult? Oro te. Aut enim hoc est, quod ego appello officiosum mendacium, ut haec dispensatio sit officium velut honeste mentiendi, aut, quid aliud sit, omnino non video, nisi forte addito nomine dispensationis fit, ut mendacium non sit mendacium. Quod si absurdum est, cur ergo non aperte dicis officiosum mendacium defendendum? Nisi forte nomen te movet, quia non tam usitatum est in ecclesiasticis libris vocabulum officii, quod Ambrosius noster non timuit, qui suos quosdam libros utilium praeceptionum plenos „Dei officiis" voluit appellare. An, si officiose mentiatur quisque, culpandus est, si dispensative, adprobandus? Rogo te. Mentiatur, ubi legerit, qui hoc putat — quia et haec magna quaestio est, sitne aliquando mentiri viri boni, immo viri Christiani, qualibus dictum est: Sit in ore vestro „est est", „non non", et qui cum fide audiunt: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium;

22 sed, ut dixi, et alia et magna quaestio est — eligat, quod voluerit, qui hoc existimat, ubi mentiatur, dum tamen ab scribentibus auctoribus Sanctarum Scripturarum et maxime canonicarum inconcusse credatur et defendatur abesse omnino mendacium, ne dispensatores Christi, de quibus dictum est: Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, tamquam magnum aliquid sibi fideliter didicisse videantur pro veritatis dispensatione mentiri, cum ipsa fides in Latino sermone ab eo dicatur appellata, quia fit, quod dicitur. Ubi autem fit, quod dicitur, mentiendi utique non est locus. Fidelis igitur dispensator apostolus Paulus procul dubio nobis exhibet in scribendo fidem, quia veritatis dispensator erat, non falsitatis. Ac per hoc verum scripsit vidisse se Petrum non recte ingredientem ad veritatem evangelii eique in faciem restitisse, quod gentes cogeret iudaizare. Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctae ac

---

5 = p. 65, 22—24. 6 cf. p. 30, 4.

12—14 „De officiis ministrorum libri tres," quasi versio Ciceronis trium librorum „De officiis" ex philosophia Stoica in Christianam religionem (PL 16, 23—184); cf. *Bardenhewer III 528—530.* 15 sq. cf. p. 29, 23—30, 1.

17 sq. *Jac 5, 12; cf. Mt 5, 37. 18 sq. Ps 5, 7.

22 cf. p. 75, 13. 24 sq. 1 Cor 4, 2.

26 sq. cf. Cicero, de offic. I 23: Fundamentum autem est iustitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas.

28 sq. cf. 1 Cor 4, 1 sq. 30—33 cf. Gal 2, 14; 11.

32—87, 8 cf. Aug. comm. ad Gal 2, 11 sqq. (PL 35, 2114): Huc accedit quod firmitas et caritas Petri, cui ter a Domino dictum est „Amas me? Pasce oves

benignae pietate humilitatis accepit atque ita rarius et sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo fidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda evangelica veritate salva fraterna caritate resistere. Nam cum satius sit a tenendo itinere in nullo quam in aliquo declinare, multo est tamen mirabilius et laudabilius libenter accipere corrigentem quam audacter corrigere deviantem. Laus itaque iustae libertatis in Paulo et sanctae humilitatis in Petro, quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obtrectandi maior occasio, qua multo mordacius criminaretur Christianos fallaciter vel suas litteras scribere vel Dei sui sacramenta portare.

Flagitas a me, ut aliquem saltem unum ostendam, cuius in hac III 23
re sententiam sim secutus, cum tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo, quod adstruis, praecesserunt, petens, ut in eo si te reprehendo erramtem, patiar te errare cum talibus, quorum ego, fateor, neminem legi. Sed cum sint ferme sex vel septem, horum quattuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam Laodicenum, cuius nomen taces, de ecclesia dicis nuper egressum, Alexandrum autem veterem haeriticum, Origenem vero ac Didymum reprehensos abs te lego in recentioribus opusculis tuis et non mediocriter nec de mediocribus quaestionibus, quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris. Cum his ergo errare puto quia nec te ipse patieris, quamvis hoc perinde dicatur, ac si in hac sententia non erraverint. Nam quis est, qui se velit cum quolibet errare? Tres igitur restant, Eusebius Emisenus, Theodorus Heracleotes et, quem paulo post commemoras, Johannes, qui dudum in pontificali gradu Constantinopolitanam rexit ecclesiam.

---

meas" (Joh 21, 15), obiurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinebat. Nam erat obiurgatore suo ipse, qui obiurgabatur, mirabilior et ad imitandum difficilior. Facilius est enim videre, quid in alio corrigas, atque id vituperando vel obiurgando corrigere, quam videre, quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, vel per te ipsum, nedum per alium; adde posteriorem, adde: coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quae maxima est disciplina; similiter c. mendac. 8 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 424]). Cf. Cypriani ep. 71, 3 ad Quint., quam ipse infra Aug. p. 82, 2 et in ep. 180, 5 ad Oceanum (*ed. Goldb.* III 700) affert. Satis clare Augustinus his verbis Hieronymo innuit, ut Petri exemplum sequens suam sententiam revocet.

9—13 cf. p. 62, 19—23. 14—18 cf. p. 58, 4—7.

18—23 cf. p. 55, 23—56, 5.

21 ad Origenem cf. p. 28, 5.— „In Didymo et memoriam praedicamus et super Trinitate fidei puritatem; sed in ceteris, quae Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt sed virtutes" (Hier., Apol. adv. libr. Rufini III 27 [PL 23, 477]); cf. ep. 84, 3 ad Pammachium et Oceanum (*ed. Hilberg* II 122 sq.), supra p. 56, 1, notam. 27 sq. cf. p. 58, 1—4.

24 Porro si quaeras vel recolas, quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, invenies fortasse nec nobis defuisse, quos in eo, quod adserimus, sequeremur, quamquam, sicut paulo ante dixi, tantum modo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem. Proinde, cum quaero tertium, ut tres etiam ego tribus opponam, possem quidem, ut arbitror, facile reperire, si multa legissem. Verum tamen ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum eius tractatoribus provoco, ipsum interrogans interpello et requiro in eo, quod scripsit ad Galatas vidisse se Petrum non recte ingredientem ad veritatem evangelii eique in faciem propterea restitisse, quod illa simulatione gentes iudaizare cogebat, utrum verum scripserit, an forte nescio qua dispensativa falsitate mentitus sit. Et audio paulo superius in eiusdem narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

25 Dent veniam quilibet aliud opinantes; ego magis credo tanto apostolo in suis et pro suis litteris iuranti quam cuique doctissimo de alienis litteris disputanti. Nec dici timeo sic Paulum defendere, quod non simularit errorem Judaeorum, sed vere fuerit in errore, quoniam neque simulabat errorem, qui libertate apostolica, sicut illi tempori congruebat, vetera illa sacramenta, ubi opus erat, agendo commendabat ea non satanae versutia decipiendis hominibus, sed Dei providentia praenuntiandis rebus futuris prophetice constituta, nec vere fuerat in errore Judaeorum, qui non solum noverat, sed etiam instanter et acriter praedicabat eos errare, qui putabant gentibus inponenda vel iustificationi quorumque fidelium necessaria.

---

1 Locus, in quo Ambr. hanc quaestionem tractavit, nobis ignotus est. Homiliae in epp. b. Pauli, quas A. ep. 37, 1 sq. (PL 16, 1084) promisit, numquam in lucem prodisse videntur. Haud recte Goldbacher, Hilberg aliique editores Ambr. comm. in Pauli ep. ad Gal 2, 11—14 (PL 17, 349 sq.) afferunt, cum haec (Ambrosiastri) expositio epp. Pauli Augustino sub nomine S. Hilarii nota esset (cf. Contra duas epp. Pelagianorum IV 4, 7, *ed. C. F. Vrba et J. Zycha* [CSEL 60, 528]); *Bardenhewer III 521.*

2 Cypriani ep. 71, 3 (*ed. Hartel* [CSEL 3, 2, 773]); cf. p. 15 et 21.
4 cf. p. 75, 13. 12—14 cf. Gal 2, 14; 11; cf. p. 77, 15.
16—18 Gal 1, 20. 21 sq. cf. p. 67, 26—28.
23—26 cf. Aug. de mendac. 8 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 422]): Non enim, ut nonnulli putant, ex eadem simulatione etiam Paulus . . . quaedam ritu iudaico sacramenta celebravit, sed ex illa libertate sententiae suae, qua praedicavit nec gentibus prodesse circumcisionem nec Judaeis obesse. Similiter c. mendac. 26 (*ed. Zycha* [CSEL 41, 505]).

Quod autem dixi eum factum Judaeis tamquam Judaeum et tamquam gentilem gentilibus non mentientis astu, sed conpatientis affectu, quem ad modum dixerim, parum mihi visus es adtendisse, immo ego fortasse non satis hoc explanare potuerim. Neque enim hoc ideo dixi, quod misericorditer illa simulaverit, sed quia sic ea non simuiavit, quae faciebat similia Judaeis, quem ad modum nec illa, quae faciebat similia gentibus, quae tu quoque commemorasti atque in eo me, quod non ingrate fateor, adiuvisti. Cum enim abs te quaesissem in epistula mea, quo modo putetur ideo factus Judaeis tamquam Judaeus, quia fallaciter suscepit sacramenta Judaeorum, cum et gentibus tamquam gentilis factus sit nec tamen susceperit fallaciter sacrificia gentium, tu respondisti in eo factum gentibus tamquam gentilem, quod praeputium receperit, quod indifferenter permiserit vesci cibis, quos damnant Judaei. Ubi ego quaero, utrum et hoc simulate fecerit, quod si absurdissimum atque falsissimum est, sic ergo et illa, in quibus Judaeorum consuetudini congruebat, libertate prudenti, non necessitate servili aut, quod est indignius, dispensatione fallaci potius quam fideli. 26

Fidelibus enim et his, qui cognoverunt veritatem, sicut ipse testatur, nisi forte et hic fallit, omnis creatura Dei bona est et nihil abiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur. Ergo et ipsi Paulo, non solum viro, verum etiam dispensatori maxime fideli, non solum cognitori, verum etiam doctori veritatis, omnis utique in cibis creatura Dei non simulate, sed vere bona erat. Cur igitur nihil simulate suscipiendo sacrorum caeremoniarumque gentilium sed de cibis et praeputio verum sentiendo ac docendo tamen tamquam gentilis factus est gentibus et non potuit fieri tamquam Judaeus Judaeis nisi fallaciter suscipiendo sacramenta Judaeorum? Cur oleastro inserto servavit dispensationis veracem fidem et naturalibus ramis non extra, sed in arbore constitutis nescio quod dispensatoriae simulationis velamen obtendit? Cur factus tamquam gentilis gentibus, quod sentit, docet, quod agit, sentit; factus autem tamquam Judaeus Judaeis aliud claudit in pectore, aliud promit in verbis, in factis, in scriptis? Sed absit hoc sapere. Utrisque enim debebat caritatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Ac per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret non mentientis astu, sed conpatientis affectu, id est non omnia mala hominum fallaciter agendo sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordis medicinae diligentiam procurando. 27

---

1 ad cp. 26 cf. p. 35, 25—28; 68, 2 sq. 8—12 cf. p. 36, 14—18.
12—14 cf. p. 68, 8—10. 20 sq. *1 Tim 4, 4. 22 cf. 1 Cor 4, 2.
28 sq. cf. Rom 11, 17. 34 sq. cf. 1 Tim 1, 5. 35 sq. cf. 1 Cor 9, 22.

Cum itaque illa Testamenti Veteris sacramenta etiam sibi agenda
28 minime recusabat, non misericorditer fallebat, sed omnino non fallens atque hoc modo a Domino Deo illa usque ad certi temporis dispensationem iussa esse commendans a sacrilegis sacris gentium distinguebat. Tunc autem non mentientis astu, sed conpatientis affectu Judaeis tamquam Judaeus fiebat, quando eos ab illo errore, quo vel in Christum credere nolebant vel per vetera sacerdotia sua caeremoniarumque observationes se a peccatis posse mundari fierique salvos existimabant, sic liberare cupiebat, tamquam ipse illo errore teneretur, diligens utique proximum tamquam se ipsum et haec aliis faciens, quae sibi ab aliis fieri vellet, si hoc illi opus esset. Quod cum Dominus monuisset, adiunxit: Haec est enim lex et prophetae.

29 Hunc conpatientis affectum in eadem epistula ad Galatas praecipit dicens: Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, instruite huius modi in spiritu lenitatis intendens te ipsum, ne et tu tempteris. Vide, si non dixit fieri tamquam ille, ut illum lucrifacias, non utique ut ipsum delictum fallaciter ageret aut se id habere simularet, sed ut in alterius delicto, quid etiam sibi accidere posset, adtenderet atque ita alteri, tamquam sibi ab altero vellet, misericorditer subveniret, hoc est non mentientis astu, sed conpatientis affectu. Sic Judaeo, sic gentili, sic cuilibet homini Paulus in errore vel peccato aliquo constituto non simulando, quod non erat, sed conpatiendo, quia esse potuisset, tamquam qui se hominem cogitaret, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret.

IV 30 Te ipsum, si placet, obsecro te, paulisper intuere, te ipsum, inquam, erga me ipsum et recole vel, si habes conscripta, relege verba tua in illa epistula, quam mihi per fratrem nostrum iam collegam meum Cyprianum breviorem misisti, quam veraci, quam germano, quam pleno caritatis affectu, cum quaedam me in te commisisse expostulasses, graviter subiunxisti: „In hoc laeditur amicitia, in hoc necessitudinis iura violantur; ne videamur certare pueriliter et fautoribus invicem vel detractoribus nostris tribuere materiam contendendi.“ Haec abs te verba non solum ex animo dicta sentio, verum etiam benigno animo ad consulendum mihi. Denique addis, quod, etiam si non adderes, appareret, et dicis; „Haec scribo, quia te pure et Christiane diligere cupio nec quicquam in mea mente retinere, quod distet a labiis.“ O vir sancte mihique, ut Deus videt animam meam, veraci corde dilecte, hoc ipsum, quod posuisti in litteris tuis, quod te mihi exhibuisse non dubito, hoc ipsum omnino

---

9 sq., cf. Mt 22, 39 sq. 11 sq. Mt 7, 12. 14 sqq. * Gal 6, 1.
24 sq. cf. 1 Cor 9, 22. 31—34 et 36—38 = p. 45, 31—35.

Paulum apostolum credo exhibuisse in litteris suis non uni cuilibet homini, sed Judaeis et Graecis et omnibus gentibus, filiis suis, quos in evangelio genuerat et quos pariendos parturiebat, et deinde posterorum tot milibus fidelium Christianorum, propter quos illa memoriae mandabatur epistula, ut nihil in sua mente retineret, quod distaret a labiis.

Certe factus es etiam tu tamquam ego non mentientis astu, sed con- 31
patientis affectu, cum cogitares tam me non reliquendum in ea culpa, in quam me prolapsum existimasti, quam nec te velles, si eo modo prolapsus esses. Unde agens gratias benivolae menti erga me tuae simul posco, ut etiam mihi non suscenseas, quod, cum in opusculis tuis aliqua me moverent, motum meum intimavi tibi hoc erga me ab omnibus servari volens, quod erga te ipse servavi, ut quicquid improbandum putant in scriptis meis, nec claudant subdolo pectore nec ita reprehendant apud alios, ut taceant apud me, hinc potius existimans laedi amicitiam et necessitudinis iura violari. Nescio enim, utrum Christianae amicitiae putandae sint, in quibus magis valet vulgare proverbium: „Obsequium amicos, veritas odium parit", quam ecclesiasticum: Fideliora sunt vulnera amici quam voluntaria oscula inimici.

Proinde carissimos nostros, qui nostris laboribus sincerissime favent, 32
hoc potius, quanta possumus instantia, doceamus, quo sciant fieri posse, ut inter carissimos aliquid alterutro sermone contra dicatur nec tamen caritas ipsa minuatur nec veritas odium pariat, quae debetur amicitiae, sive illud verum sit, quod contra dicitur, sive corde veraci, qualecumque sit, dicitur non retinendo in mente, quod distet a labiis. Credant itaque fratres nostri, familiares tui, quibus testimonium perhibes, quod sint vasa Christi, me invito factum nec mediocrem de hac re dolorem inesse cordi meo, quod litterae meae prius in multorum manus venerunt, quam ad te, ad quem scriptae sunt, pervenire potuerunt. Quo autem modo id acciderit, et longum est narrare et, nisi fallor, superfluum, cum sufficiat, si quid mihi in hoc creditur, non eo factum animo, quo putatur, nec omnino meae fuisse voluntatis aut dispositionis aut consensionis aut saltem cogitationis, ut fieret. Haec si non credunt, quod teste Deo loquor, quid amplius faciam, non habeo. Ego tamen absit ut eos credam haec tuae sanctitati malivola mente suggerere ad excitandas inter nos inimicitias — quas misericordia Domini Dei nostri avertat a nobis! — sed sine ullo nocendi animo facile de homine humana vitia suspicari. Hoc enim me de illis aequum est credere, si vasa sunt Christi non in contumeliam, sed in honorem facta et disposita in domo magna a Deo in opus bonum. Quod

2 sq. cf. Gal 4, 19. 15—19 cf. p. 51, 22 sqq. 16 sq. Terent., Andria 68.
17—19 *Prov 27, 6. 26 sq. cf. p. 44, 22.
39 sq. cf. 2 Tim 2, 20 sq.; Rom 9, 21; cf. p. 97, 14.

si post hanc adtestationem meam, si in notitiam eorum venerit, facere voluerint, quam non recte faciant, et tu vides.

Quod sane scripseram nullum me librum adversus te Romam mi-
33 sisse, ideo scripseram, quia et libri nomen ab illa epistula discernebam, unde omnino nescio quid aliud te audisse existimaveram, et Romam nec ipsam epistulam, sed tibi miseram et adversus te non esse arbitrabar, quod sinceritate amicitiae sive ad admonendum sive a te vel abs me corrigendum fecisse me noveram. Exceptis autem familiaribus tuis te ipsum obsecro per gratiam, qua redempti sumus, ut, quaecumque tua bona, quae tibi Domini bonitate concessa sunt, in litteris meis posui, non me existimes insidioso blandiloquio posuisse, si quid autem in te peccavi, dimittas mihi. Nec illud, quod de nescio cuius poetae fato ineptius fortasse quam litterarius a me commemoratum est, amplius, quam dixi, ad te trahas, cum continuo subiecerim non hoc ideo me dixisse, ut oculos cordis reciperes, — „quos absit", inquam, „ut amiseris —, sed ut adverteres, quos sanos ac vigiles haberes". Propter solam ergo παλινῳδίαν, si aliquid scripserimus, quod scripto posteriore destruere debeamus, imitandum, non propter Stesichori caecitatem, quam cordi tuo nec tribui nec timui, adtingendum illud existimavi. Atque identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim secundum honorum vocabula, quae iam Ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio.

V 34 De interpretatione tua iam mihi persuasisti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebraeis, ut scilicet ea, quae a Judaeis praetermissa vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed peto insinuare digneris, a quibus Judaeis, utrum ab eis ipsis, qui ante adventum Domini interpretati sunt, et, si ita est, quibus vel quonam eorum, an ab istis posterius, qui propterea putari possunt aliqua de codicibus Graecis vel subtraxisse vel in eis corrupisse, ne illis testimoniis de Christiana fide convincerentur. Illi autem anteriores cur hoc facere voluerint, non invenio. Deinde nobis mittas, obsecro, interpretationem tuam de Septuaginta, quam te edidisse nesciebam. Librum quoque tuum, cuius mentionem fecisti, „De optimo genere interpretandi" cupio legere et adhuc nosse, quo modo coaequanda sit in interprete peritia linguarum coniecturis eorum, qui Scripturas disserendo pertractant, quos

---

3 sq. cf. p. 38, 17—20; 48, 13 sq. 8 sq. cf. p. 44, 22—27.
12—17 cf. p. 36, 4—10. 20—24 cf. p. 31, 34—36.
25—27 cf. p. 70, 14—71, 4.
32 sq. Quia Septuaginta interpretes secundum Augustini sententiam prophetice, Dei spiritu inspirante interpretabantur. 33 sq. cf. p. 125, 11—14.
34 sq. cf. p. 71, 8 sq. 37—93, 5 cf. p. 69, 12—70, 13.

necesse est, etiam si rectae atque unius fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obscuritate sententias, quamvis nequaquam ipsa varietas ab eiusdem fidei unitate discordet, sicut etiam unus tractator secundum eandem fidem aliter atque aliter eundem locum potest exponere, quia hoc eius obscuritas patitur.

Ideo autem desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut et 35
tanta Latinorum interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus, inperitia careamus et hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intellegant propterea me nolle tuam ex Hebraeo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem tamquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consuerunt, quae etiam ab apostolis adprobata est. Unde illud apud Jonam virgultum si in Hebraeo nec hedera est nec cucurbita, sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum nullis sustentandum adminiculis erigatur, mallem iam in omnibus Latinis cucurbitam legi; non enim frustra hoc puto Septuaginta posuisse, nisi quia et huic simile sciebant.

Satis me, immo fortasse plus quam satis tribus epistulis tuis respon- 36
disse arbitror, quarum duas per Cyprianum accepi, unam per Firmum. Rescribe, quod visum fuerit, ad nos vel alios instruendos. Dabo autem operam diligentiorem, quantum me adiuvat Dominus, ut litterae, quas ad te scribo, prius ad te perveniant quam ad quemquam, a quo latius dispergantur. Fateor enim nec mihi hoc fieri velle de tuis ad me, quod de meis ad te factum iustissime expostulas. Tamen placeat nobis invicem non tantum caritas, verum etiam libertas amicitiae, ne apud me taceas vel ego apud te, quod in nostris litteris vicissim nos movet, eo scilicet animo, qui oculis Dei in fraterna dilectione non displicet. Quod si inter nos fieri posse sine ipsius dilectionis perniciosa offensione non putas, non fiat. Illa enim caritas, quam tecum habere vellem, profecto maior est, sed melius haec minor quam nulla est.

---

8 sq. cf. p. 44, 22—27. 14—18 cf. p. 72, 7—24.
21—25 cf. p. 46, 22—24. 25—29 cf. p. 51, 22—25.

Epistula Hieronymi 126 (Aug. 165).

Hieronymus ad Marcellinum et Anapsychiam.

Dominis vere sanctis atque omni officiorum caritate venerandis filiis Marcellino et Anapsychiae Hieronymus in Christo salutem.

I 1 Tandem ex Africa vestrae litteras unanimitatis accepi et non me paenitet inpudentiae, qua tacentibus vobis epistulas meas frequenter ingessi, ut rescriptum mererer et vos esse sospites non aliis nuntiantibus, sed vestro potissimum sermone cognoscerem. Super animae statu memini vestrae quaestiunculae, immo maximae ecclesiasticae quaestionis, utrum lapsa de caelo sit, ut Pythagoras philosophus omnesque Platonici et Origenes putant, an ἀπόρροια Dei substantiae, ut Stoici, Manichaeus et Hispana Priscilliani haeresis suspicantur, an in thesauro habeantur Dei olim conditae, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt, an cotidie a Deo fiant et mittantur in corpora secundum illud, quod in evangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur et ego operor, an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apol-

---

4 sq. Marcellinus nobilis Romanus, cui H. iam plures epistulas miserat, tempore huius epistulae (a. 411) in Africa erat, ubi (mense iunii 411) ut commissarius Caesaris celebri colloquio (cf. Aug. epp. 128, 129, 133, 139, 141) episcoporum Catholicorum et Donatistarum praesedit. Ep. Hier. 126 est responsum ad ep. ex Africa missam, in qua quaestio de origine animae humanae proposita est. Anapsychiam Cavallera (I 320) uxorem Marcellini putat, Grützmacher (III 260 sq.) virum aliter ignotum declarat.

12 Origenes, ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ III 3, 5 *(ed. P. Koetschau, Lipsiae 1913, 261);* item Pierius, „Origenes iunior" (Hier., de vir. inl. 76); *cf. A. Ludwig (Hist.-pol. Blätter 1916, 297—312).* Ad Ps.-Dionysii sententiam cf. *J. Stiglmayr (Theol. Revue XVIII [1919] 306.)* In commentariis ante controversiam Origenisticam (a. 394) compositis Hier. magni Alexandrini doctrinam de praeexistentia animarum nondum satis clare refutaverat, sed sine reprehensione rettulerat (cf. comm. in Ecclesiasten [PL 23, 1019, 1044 sq., 1112 sq. ad 1, 9; 4, 2 sq.; 12, 6. 9]). Ex quo autem non licet cum *J. Turmel (Rev. d'hist. et de litt. relig. VII [1902] 138 sq.)* concludere, Hieronymum tunc eandem sententiam tenuisse. Nam certe in comm. ad Eph 1, 4 (PL 26, 476) hunc errorem Origenis repudiavit; cf. etiam p. 57, 3—6; 111, 10 nota.

12—13 cf. Aug., de duabus animab. c. Fortunat. (*ed. J. Zycha* [CSEL 25, 51—80]); similiter Lactantius, de opif. Dei 19 (*ed. S. Brandt* [CSEL 27, 59—63]). Ad Priscilliani doctrinam cf. *A. Puech (Bulletin d'anc. litt. et d'archéol. chrét. II [1912] 81—95; 161—213).* 15—17 cf. p. 102, 3—9.

16 sq. Joh 5, 17; cf. Hier., libr. c. Joh. Hierosol. ad Pammachium 22 (PL 23, 372) et Aug. responsionem ad hoc argumentum infra p. 102, 10—18; 103, 24—104, 1.

17—95, 3 cf. Tertull., de anima 19 (*ed. A. Reifferscheid ed. G. Wissowa* [CSEL 20, 331]): Anima velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulavit tam

linaris et maxima pars occidentalium autumat, ut, quo modo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima et simili cum brutis animantibus condicione subsistat. Super quo quid mihi videretur, in opusculis contra Rufinum olim scripsisse me novi adversus eum libellum, quem sanctae memoriae Anastasio, episcopo Romanae ecclesiae, dedit, in quo lubrica et subdola, immo stulta confessione, dum auditorum simplicitati inludere nititur, suae fidei, immo perfidiae inlusit. Quos libros reor sanctum parentem vestrum habere Oceanum; olim enim editi sunt multas Rufini libri adversus nos calumnias respuentes. Certe habes ibi virum sanctum et eruditum Augustinum episcopum, qui viva, ut aiunt, voce docere te poterit et suam, immo per se nostram explicare sententiam.

Ezechielis volumen olim adgredi volui et sponsionem creberrimam II 2
studiosis lectoribus reddere, sed in ipso dictandi exordio ita animus meus occidentalium provinciarum et maxime urbis Romae vastatione confusus est, ut iuxta vulgare proverbium proprium ignorarem vocabulum, diuque tacui sciens tempus esse lacrimarum. Hoc autem anno, cum tres explicassem libros, subitus inpetus barbarorum, de

9 multas] multis *Hilberg.*

intellectu quam et sensu. *G. Esser, Die Seelenlehre Tertullians (Paderbornae 1893) 210—231.* Ad Apollinarem cf. p. 56, 2. Praeter Tertullianum nemo occidentalium nobis notus hanc sententiam defendit, neque Lactantius, ut falso ait Rufinus (Apol. ad Anast. 6 [PL 21, 626]); cf. Lactant., de opif. Dei 19 (*ed. S. Brandt* [CSEL 27, 59—63). Hilarius Pictaviensis (de Trinit. X 20 [PL 10, 357 sq.]) eam impugnavit. Inter Graecos vero eam tenuit Gregor. Nyss. (de anima et resurr. [PG 46, 125 sq.]). Cf. ad veterum Patrum sententias *J. Kleutgen (Zeitschr. f. kath. Theol. VII [1883] 197—229).*

3—4 Hier., Apol. adv. l. Ruf. II 4. 8—10; III 28. 30 (PL 23, 427, 430—432, 477—479.)

4—8 Post damnationem Origenis (a. 400) Rufinus Apologiam ad Anastasium scripsit, in qua orthodoxam fidem confessus est (PL 21, 623—628). In quaestione de animae origine R. se nescire iurat, quae sententia sit vera (Apol. ad Anast. 6 [l. c. 626]). Anastasius papa rexit ecclesiam annis 399—402. Eodem anno 400 Rufinus scripsit „Apologiam in Hieronymum" (PL 21, 541—624) nimis vehementem et infestam, cui Hier. simili „Apologia" respondit.

8 Oceanus, nobilis Romanus, amicus Hieronymi et Augustini, tunc (411/12) fortasse in Africa versabatur propter invasionem Alarici in Italiam; cf. infra p. 96, 17—20.

10—12 cf. August. ep. 143 ad Marcellinum (*ed. Goldb.* III 250—262), Aug. responsum ad epistulam Marcellini. 11 sq. cf. vero p. 102, 19—36.

13 sqq. Commentarius in Ezecheliem prophetam (PL 25, 15—490) anno 410 coeptus, Eustochiae dedicatus, anno 412 finitus est. De calamitatibus et angustiis illorum temporum iterum atque iterum loquitur Hier. in praefationibus singulorum commentarii librorum; cf. ep. 123, 15 sq. ad Agerochiam (*ed. Hilberg* III 91—94). 17 Eccle 3, 4.

18 sqq. cf. praef. in comm. Ezech. libr. III (PL 25, 75).

quibus tuus dicit Vergilius: „Lateque vagantes Barcaei“ et sancta Scriptura de Ismahel: Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit, sic Aegypti limitem, Palaestinae, Phoenices, Syriae percucurrit ad instar torrentis cuncta secum trahens, ut vix manus eorum misericordia Christi potuerimus evadere. Quod si iuxta inclitum oratorem „silent inter arma leges“, quanto magis studia Scripturarum, quae et librorum multitudine et silentio ac librariorum sedulitate, quodque vel proprium est, securitate et otio dictantium indigent! Duos itaque libros misi sanctae filiae meae Fabiolae, quorum exempla, si volueris, ab ipsa poteris mutuari; pro angustia quippe temporis alios describere non potui. Quos cum legeris et vestibula videris, facilis coniectura erit, qualis ipsa futura sit domus. Sed credo in Dei misericordia, qui nos adiuvit in difficillimo principio supra dicti operis, quod ipse adiuvet et in paene ultimis prophetae partibus, in quibus Gog et Magog bella narrantur, et in extremis, in quibus sacratissimi et inexplicabilis templi aedificatio, varietas mensuraque describitur.

III 3 Sanctus frater noster Oceanus, cui vos cupitis commendari, tantus ac talis est et sic eruditus in lege Domini, ut absque nostro rogatu instruere vos possit et nostram super cunctis quaestionibus Scripturarum pro modulo communis ingenii explicare sententiam. Incolumes vos et prolixa aetate florentes Christus Deus noster tueatur omnipotens, domini vere sancti.

Epistula Augustini 166 (Hier. 131).

Augustinus ad Hieronymum de origine animae hominis.

I 1 Deum nostrum, qui nos vocavit in suum regnum et gloriam, et rogavi et rogo, ut hoc, quod ad te scribo, sancte frater Hieronyme, consulens te de his, quae nescio, fructuosum esse nobis velit. Quam-

23 Aug. Retract. II 45 (PL 32, 649): Scripsi etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethleem, unum de origine animae hominis . . . hoc opus sic incipit: „Deum nostrum, qui nos vocavit“; ep. 190, 21 (*ed. Goldb.* IV 156): Qui liber meus non doctoris, sed inquisitoris et potius discere cupientis apud me legi potest.

1 sq. Verg. Aen. IV 42 sq. 2 sq. *Gen 16, 12.

5 sq. Cicero pro Milone 10 (11).

9 sq. Fabiola iunior ceteroquin ignota. Fabiola senior, cui Hier. ep. 64 de veste sacerdotali (*ed. Hilberg* I 586—615) et ep. 78 de mansionibus filiorum Israhel per heremum (*ed. Hilberg* II 49—87) miserat, iam anno 399 mortua est; cf. Hieronymi ep. 77 ad Oceanum de morte Fabiolae (*ed. Hilberg* II 37—49).

13—15 Ezech 38 sq. 15 sq. Ezech 40—48. De difficultate huius partis Ezechielis H. loquitur in praef. l. XI (PL 25, 325). 17—20 cf. p. 95, 8.

26 1 Thess 2, 12.

quam enim te multo, quam ego sum, aetate maiorem tamen etiam ipse iam senex consulo; sed ad discendum, quod opus est, nulla mihi aetas sera videri potest, quia, etsi senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere quam, qui doceant, ignorare. Nihil equidem molestius fero in omnibus angustiis meis, quas patior in difficillimis quaestionibus, quam in tam longinquo tuae caritatis absentiam, ut vix possim meas dare, vix recipere litteras tuas per intervalla non dierum, non mensium, sed aliquot annorum, cum, si fieri posset, cotidie praesentem te habere vellem, cum quo loquerer, quicquid vellem. Nec ideo tamen non debui facere, quod potui, si non potui totum, quod volui.

Ecce venit ad me religiosus iuvenis, catholica pace frater, aetate 2
filius, honore conpresbyter noster Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas, quae animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt. Nam inde ad nos usque ab Oceani litore properavit fama excitus, quod a me posset de his, quae scire vellet, quicquid vellet, audire. Neque nullum cepit adventus sui fructum: primo, ne de me multum famae crederet; deinde docui hominem, quod potui, quod autem non potui, unde discere posset, admonui atque, ut ad te iret, hortatus sum. Qua in re consilium vel praeceptum meum cum libenter et oboedienter acciperet, rogavi eum, ut abs te veniens per nos ad propria remearet. Quam eius pollicitationem tenens occasionem mihi credidi a Domino esse concessam, qua tibi scriberem de his, quae per te scire cupio. Quaerebam enim, quem ad te mitterem, nec mihi facile occurebat idoneus et fide agendi et alacritate oboediendi et exercitatione peregrinandi. Ubi ergo istum iuvenem expertus sum, eum ipsum esse, qualem a Domino petebam, dubitare non potui.

Accipe igitur, quae mihi peto aperire ac disserere non graveris. II 3
Quaestio de anima multos movet, in quibus et me esse confiteor. Nam quid de anima firmissime teneam, non tacebo; deinde subiungam, quid mihi adhuc expediri velim. Anima hominis inmortalis

2—4 cf. p. 102, 26 sq.; 123, 33—35.

14 cf. sq. 2 Tim 2, 21; Rom 9, 21; cf. p. 91, 39 sq.

16 sqq. Orosius Augustino anno 414 „Commonitorium de errore Priscillianistarum et Origenistarum" (*ed. G. Schepss* [CSEL 18, 149—157]) dedit petens, ut hic haereticos Hispanos refelleret. Cui Aug. opusculo „Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas" respondit (PL 42, 669—678); cf. Aug. ep. 169, 4, 13 (*ed. Goldb.* III 621); Retract II 44 (PL 32, 648 sq.).

33 sqq. cf. Aug., Soliloquia II (PL 32, 885—904); de immortalitate animae (PL 32, 1021—1034); Retract. I 5 (PL 32, 590 sq.); de Gen. ad litt. VII 28, 43 (*ed. Zycha* [CSEL 28, 1, 228]): et quod (anima) sit immortalis secundum quendam vitae modum, quem nullo modo potest amittere; secundum quandam vero

est secundum quendam modum suum; non enim omni modo sicut Deus, de quo dictum est, quod solus habeat inmortalitatem — nam de animae mortibus Sancta Scriptura multa commemorat, unde illud est: Sine mortuos sepelire mortuos suos —, sed quod ita moritur alienata a vita Dei, ut tamen in natura sua vivere non omnino desistat, ita mortalis ex aliqua causa invenitur, ut etiam inmortalis non sine ratione dicatur. Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omni modo incommutabilis atque incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius nec proficeret in melius nec aliquid in semet ipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad eius ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat non opus est extrinsecus testimonio; quisquis se ipsum advertit, agnoscit. Frustra autem dicitur ab eis, qui animam Dei esse partem volunt, hanc eius labem ac turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus, hanc denique infirmitatem et aegritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa illi esse, sed ex corpore. Quid interest, unde aegrotet, quae si esset incommutabilis, unde libet aegrotare non posset? Nam quod vere incommutabile et incorruptibile est, nullius rei accessu commutari vel corrumpi potest; alioquin non Achillea tantum, sicut fabulae ferunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque natura incommutabilis, quae aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei.

4 Incorpoream quoque esse animam etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam

---

mutabilitatem, qua potest vel deterior vel melior fieri, non immerito etiam mortalis possit intellegi; quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo proprie dictum est: Qui solus habet inmortalitatem (1 Tim 6, 16).

2 cf. 1 Tim 6, 16. 4 *Mt 8, 22; *Lc 9, 60.

5—7 cf. de civ. Dei VI 12 (*ed. E. Hoffmann* [CSEL 40, 1, 298—300]); de trinit. XIII 12 (PL 42, 1023 sq.)

13 sqq. Contra hanc doctrinam Manichaeorum cf. e. g. Aug. de natura boni contra Manichaeos (*ed. J. Zycha* [CSEL 25, 2 853—889]); contra Fortunatum (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 81—112]); de continentia (*ed. J. Zycha* [CSEL 41, 141—183] c. Felic. Manich. de nat. boni II 18—22; (*ed. Zycha* [CSEL 25, 2, 847—852]).

25 sqq. cf. Aug. de Gen. ad litt. XII 33, 62 (CSEL 28, 1, 428): Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire audeo profiteri. — Quaestionem hanc de animae humanae immortalitate Aug. saepe tractavit, imprimis in Dialogo „De quantitate animae" a. 388 scripto (PL 32, 1035—1080). *Cf. ad rem. J. F. Nourisson, La philosophie de St. Augustin I ² (Parisiis 1869) 165—198; G. Heinzelmann, A. Lehre v. d. Unsterblichkeit und Immaterialität der Seele (Diss. Jenensis 1874) 16—26.* Corporalitatem animae cum Stoicis Tertullianus docuerat; cf. Aug., ep. 190, 4, 14 ad Optatum (*ed. Goldb.* IV 148) et *G. Esser, Die Seelenlehre Tertullians (Paderbornae 1893) 65—77.* Item iam Irenaeus (Haer. II 34, 1 [PG7 834 sq.]), Arnobius iunior (Confl. de Deo II 5 [PL 53, 276]) et Augustini adversarii,

vel superfluo faciam vel merito patiar, quoniam, cum de re constat, non est opus certare de nomine, si corpus est omnis substantia vel essentia vel, si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in se ipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quae summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet et breviore breviorem minusque sit in parte quam in toto, non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione sed quadam vitali intentione porrigitur; nam per omnes eius particulas tota simul adest nec minor in minoribus et in maioribus maior, sed alicubi intentius, alicubi remissius et in omnibus tota et in singulis tota est. Neque enim aliter, quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit; nam cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet neque id, quod sentitur, per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur, ubi fit. Unde ergo ad totam mox pervenit, quod non in toto fit, nisi quia et ibi tota est, ubi fit, nec, ut tota ibi sit, cetera deserit? Vivunt enim et illa ea praesente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret et utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret. Proinde et in omnibus simul et in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, et videmus corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare et amplioribus ampliora. Quapropter si anima corpus esse dicenda est, non est certe corpus, quale terrenum est nec quale humidum aut aerium aut aetherium. Omnia quippe talia maiora sunt in maioribus locis et minora in minoribus et nihil eorum in aliqua sui parte totum adest, sed, ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Unde intellegitur, anima sive corpus sive incorporea dicenda sit, propriam quandam habere naturam omnibus his mundanae molis elementis excellentiore substantia creatam, quae veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus, cogitari, sed mente intellegi vitaque sentiri. Neque haec perinde loquor, ut te, quae tibi nota sunt, doceam, sed ut aperiam, quid firmissime de anima teneam, ne me quisquam, cum ad ea venero, quae requiro, nihil de anima vel scientia vel fide tenere arbitretur.

Joh. Cassianus ac Faustus Reiensis; cf. *J. Wrzol (Divus Thomas 1918, 181—213, 425—456).*

6—14 cf. Aug. de quantitate animae 4. 13 (PL 32, 1038 sq., 1047 sq.); de Gen. ad litt. VIII 22, 43 (*ed. J. Zycha* [CSEL 28, 1, 261]); de immortalitate animae 25 (PL 32, 1034).

Certus etiam sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria voluntate in peccatum esse conlapsam nec liberari posse de corpore mortis huius vel suae voluntatis virtute tamquam sibi ad hoc sufficiente vel ipsius corporis morte, sed gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, nec omnino esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Quaecumque autem sine gratia mediatoris et sacramento eius in qualibet corporis aetate de corpore exierit, et in poena futuram et in ultimo iudicio recepturam corpus ad poenam. Si autem post generationem humanam, quae facta est ex Adam, regeneretur in Christo ad eius pertinens societatem, et requiem post mortem corporis habituram et corpus ad gloriam recepturam. Haec sunt, quae de anima firmissime teneo.

III 6 Nunc accipe, obsecro, quid requiram, et noli me spernere; sic non te spernat, qui pro nobis dignatus est sperni. Quaero, ubi contraxerit anima reatum, quo trahitur in condemnationem etiam infantis morte praeventi, si ei per sacramentum, quo etiam parvuli baptizantur, Christi gratia non subvenerit. Non enim es ex illis, qui modo nova quaedam garrire coeperunt dicentes nullum reatum esse ex Adam tractum, qui per baptismum in infante solvatur. Quod te sapere si scirem, immo nisi te id non sapere scirem, nequaquam hoc abs te quaererem aut quaerendum putarem. Sed quia tenemus de hac re sententiam tuam concinentem catholicae fundatissimae fidei, qua et Joviniani va-

---

1 sq. Hanc doctrinam Aug. in multis libris, quibus Manichaeorum de necessitate naturalis peccati sententiam refutavit, proposuit. Cf. de libero arbitrio (PL 32, 1221—1310), de Genesi adversus Manichaeos (PL 34, 173—220), de vera religione (PL 34, 121—172), de duabus animabus contra Manichaeos (*ed. Zycha* [CSEL 25, 1, 51—80]), acta seu disputat. contra Fortunatum Manichaeum (CSEL 25, 1, 83—112). Quia Aug. doctrinam de peccato originali in his scriptis non tractavit, Julianus Pelagianus ad ea pro peccati originalis negatione provocavit (cf. Aug. op. imperf. c. Julian. I 45 [PL 45, 1066 sq]). Ex Aug. responso (Retract. I 9 sq.; 13, 5 [PL 32, 595—600; 603 sq.]; Op. imperf. c. Julian. I 44. 47. 104; II 38. 80 [PL 45, 1066 sqq. 1118; 1157; 1174 sq.]) elucet, quo sensu „anima propria voluntate in peccatum collapsa" sit: „et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum factum et quodammodo haereditarium" (PL 32, 604). Ad Aug. doctrinam de peccato originali cf. *J. Turmel, Le dogme du péché originel dans S. Augustin (Revue d'histoire et de littérature religieuses VI (1901) 385—426; VII (1902) 128—146; 209—230); J. N. Espenberger, Die Elemente der Erbsünde nach Augustin und der Frühscholastik (Moguntiae 1905) J. Mausbach, Ethik d. hl. Aug. II.*

2—5 cf. Rom 7, 24 sq.

6 sq. 1 Tim 2, 5; cf. Aug. de perfect. iust. hom. 42 (CSEL 42, 45); de pecc. orig. 28 (ibidem 187).

12 sq. cf. 1 Cor 15, 43; 2 Cor 5, 1; Phil 3, 20. 15 cf. Is 53, 3.

18—20 Pelagiani. 23 sq. Hier. adv. Iovin. II 2 (PL 23, 284).

niloquia redarguens adhibuisti testimonium ex libro Job: Nemo mundus in conspectu tuo nec infans, cuius est diei unius vita super terram, deinde adiunxisti: „Tenemurque rei, in similitudinem praevaricationis Adae", et liber tuus in Jonam prophetam satis hoc insigniter dilucideque declarat, ubi ieiunare parvulos propter ipsum originale peccatum merito coactos esse dixisti, non inconvenienter abs te quaero, hunc reatum anima ubi contraxerit, unde oporteat eam etiam in illa aetate per sacramentum Christianae gratiae liberari.

7 Ego quidem ante aliquot annos, cum libros quosdam scriberem de libero arbitrio, qui in multorum manus exierunt et habentur a plurimis, quattuor opiniones de animae incarnatione, utrum ex illa una, quae primo homini data est, ceterae propagentur, an singulis quibusque novae etiam modo fiant, an alicubi iam existentes vel mittantur divinitus vel sponte labantur in corpora, ita putavi esse tractandas, ut, quaelibet earum vera est, non impediret intentionem meam, qua tunc adversus eos quantis poteram viribus, agebam, qui naturam mali suo principio praeditam adversus Deum conantur inducere, id est contra Manichaeos; nam de Priscillianistis adhuc nihil audieram, qui non multum ab istis dissimiles blasphemias fabulantur. Ideo quintam opinionem non addidi, quam in tua epistula inter ceteras commemorasti, ne aliquam praeterires, ubi de hac quaestione interroganti rescripsisti religiosae memoriae viro nobisque in Christi caritate gratissimo Marcellino, quod anima sit pars Dei, primo quia non de incarnatione eius, sed de natura quaeritur, cum hoc quaeritur, deinde quia hoc sentiunt illi, contra quos agebam, et id maxime agebam, ut creatoris inculpabilem inviolabilemque naturam a creaturae vitiis et labe secernerem, cum illi a substantia mali, cui proprium principium principesque tribuunt, ipsam boni dei substantiam ex parte, qua capta est, corruptam et oppressam et ad peccandi necessitatem perductam esse contendant. Hoc itaque excepto haereticae opinionis errore ex quattuor reliquis opinionibus quaenam sit eligenda, scire desidero. Quaecumque enim eligenda est, absit, ut inpugnet hanc fidem, de qua certi sumus, omni animae etiam par-

1—3 Job 14, 4 sq. sec. LXX; cf. Aug., Sermo 170, 2 (PL 38, 927).
3 sq. cf. Rom 5, 14.
4 sqq. Hier. comm. in Jon 3, 5 (PL 25, 1140 sq.).
10 sqq. Aug. de libero arbitrio libri tres, scripti annis 388 et 395 (PL 32, 1221—1310); ibidem III 21, 59—62; adhuc diffusius Aug. difficilem quaestionem tractavit de Gen. ad litt. X (*ed. Zycha* [CSEL 28, 1, 295—332]); cf. supra p. 94, 9—95, 3. Ad differentiam sententiarum Augustini in his duobus operibus propositarum cf. *Turmel (Rev. d'hist. et de litt. relig. VI 394 sqq.), Espenberger, Die Elemente der Erbsünde 13* et infra p. 108, 1—10.
19—21 cf. p. 97, 15 sq. 21 sq. cf. p. 94, 12.

vuli infantis necessariam esse liberationem ex obligatione peccati eamque nullam esse nisi per Jesum Christum et hunc crucifixum.

IV 8 Proinde, ne longum faciamus, hoc certe sentis, quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus faciat. Cui sententiae ne obiciatur, quod omnes creaturas sexto die consummaverit Deus, septimo requieverit, adhibes testimonium ex evangelio: Pater meus usque nunc operatur. Sic enim ad Marcellinum scripsisti, in qua epistula etiam mei commemorationem benivolentissime facere dignatus es, quod hic me haberet in Africa, qui ei possem istam facilius explicare sententiam. Quod si potuissem, non ille hoc abs te tam longe posito inquireret, si tamen id tibi ex Africa scripsit. Nam, quando scripserit, nescio; tantum scio, quod de hoc bene cognoverit cunctationem meam, unde me inconsulto facere voluit. Quamquam, etiam si consuleret, magis hortarer et gratias agerem, quod nobis conferri omnibus posset, nisi tu breviter rescribere quam respondere maluisses, credo ne superfluo laborares, ubi ego essem, quem putabas id optime scire, quod ille quaesierat. Ecce volo, ut illa sententia etiam mea sit, sed nondum esse confirmo.

9 Misisti ad me discipulos, ut eam rem doceam, quam nondum ipse didici. Doce ergo, quod doceam; nam ut doceam, multi a me flagitant eisque me sicut alia multa et hoc ignorare confiteor. Et fortasse, quamvis in os meum verecundentur, tamen apud se dicunt: Tu es magister in Israhel et haec ignoras? Quod quidem Dominus ei dixit, qui erat unus illorum, quos delectabat vocari rabbi, unde etiam ad verum magistrum nocte venerat, quia fortassis erubescebat discere, qui docere consueverat. Me autem magistrum potius audire quam velut magistrum delectat audiri. Recolo enim, quid dixerit eis, quos prae ceteris elegit: Vos autem, inquit, nolite vocari ab hominibus rabbi; unus est enim magister vester, Christus. Nec alius docuit Moysen etiam per Jothor nec alius Cornelium etiam per priorem Petrum nec alius Petrum etiam per posteriorem Paulum; a quocumque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas. Quid, si ideo adhuc ista nescimus et ea neque orando neque legendo neque cogitando et ratiocinando invenire potuimus, ut probemur, non solum indoctos quanta caritate doceamus, verum a doctis etiam quanta humilitate discamus?

---

2 cf. 1 Cor 2, 2.
4—6 cf. Nemes. Emis., de nat. hom. 2 (PG 40, 573 sq.).
5 sq. cf. Gen 2, 2. 3—7 cf. p. 94, 15—17. 7—10 cf. p. 95, 10—12.
6 sq. *Joh 5, 17. 22 sq. * Joh 3, 10. 24 cf. Mt 23, 7.
24 sq. cf. Joh 3, 1 sq. 26 sq. cf. p. 97, 2—4; 123, 33—35.
28 sq. * Mt 23, 8. 30 cf. Ex 18, 14—23. 30 sq. cf. Act 10, 25—48.
31 cf. Gal 2, 11—21. 32 cf. Joh 14, 6; 1 Joh 5, 6.

Doce ergo, quaeso, quod doceam, doce, quod teneam, et dic mihi, si animae singillatim singulis hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in sacramento Christi remissione peccati peccantes in Adam, ex quo caro est propagata peccati; aut, si non peccant, qua iustitia creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur, ut eas, nisi per ecclesiam subventum fuerit, damnatio consequatur, cum in earum potestate non sit, ut eis possit gratia baptismi subveniri. Tot igitur animarum milia, quae in mortibus parvulorum sine indulgentia Christiani sacramenti de corporibus exeunt, qua aequitate damnantur, si novae creatae nullo suo praecedente peccato, sed voluntate creatoris singulae singulis nascentibus adhaeserunt, quibus eas animandis ille creavit et dedit, qui utique noverat, quod unaquaeque earum nulla sua culpa sine baptismo Christi de corpore fuerat exitura? Quoniam igitur neque de Deo possumus dicere, quod vel cogat animas fieri peccatrices vel puniat innocentes, neque negare fas nobis est eas, quae sine Christi sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum non nisi in damnationem trahi, obsecro te, quo modo haec opinio defenditur, qua creduntur animae non ex illa una primi hominis fieri omnes, sed sicut illa una uni ita singulis singulae?

Ea vero, quae dicuntur alia contra hanc opinionem, facile puto me V 11
posse refellere, sicuti est illud, quo eam sibi quidam videntur urgere, quo modo consummaverit Deus omnia opera sua sexto die et septimo requieverit, si novas adhuc animas creat. Quibus si dixerimus, quod ex evangelio in supra dicta epistula posuisti: Pater meus usque

4 cf. Rom 5, 12; „in quo" Aug., philologice procul dubio haud recte, appositionem ad „unum hominem" intellexit (e. g. de pecc. merit. et rem. I 11[CSEL 60, 12 sq.]; de civ. Dei XVI 27 [CSEL 40, 2, 175]). Quare coniunctionalem interpretationem verborum „in quo", quem Pelagiani defenderunt, sensus distortionem declaravit (c. Jul. Pelag. VI 24,75 [PL 44, 868]; de pecc. merit. et rem. I 13 [CSEL 60, 14]); cf. plura de hac re apud *J. Freundorfer, Erbsünde und Erbtod beim Apostel Paulus (Monasterii 1927) 140—146*, cf. infra p. 112, 27—30.

6 sq. cf. p. 110, 33—36; ep. 180, 2 ad Oceanum (*ed. Goldb.* III 698).

14 sqq. cf. Aug. de anima et eius origine I 7 (*ed. Vrba et Zycha* [CSEL 60, 308]): Si eas animas liberat a peccato, quas innocentes et mundas implicuit ipse peccato, vulnus sanat, quod intulit nobis, non quod invenit in nobis. Avertat autem Deus, et omnino absit, ut dicamus, quando lavacro regenerationis Deus mundat animas parvulorum, tunc eum mala sua corrigere.

23 sq. cf. Gen 2, 2; supra p. 102, 4—6.

25 cf. p. 94, 16 sq.; *Joh 5, 17; Aug., de Gen. ad litt. VII 28, 41 sq. (*ed. Zycha* [CSEL 28, 1, 227 sq.]): Curet quoque ostendere, quomodo utrumque sit verum, quod contrarium videri potest, et Deum in die septimo ab omnibus operibus suis requievisse, quod Geneseos liber dicit (Gen 2, 2), et usque nunc eum operari, quod Dominus dicit (Joh 5, 17) . . . His enim omnibus divinae Scripturae testimoniis . . . ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio primum simul omnia creavisse (cf. Eccli 18, 1), quaedam conditis iam ipsis naturis,

nunc operatur, respondent: „Operatur dictum est institutas administrando, non novas instituendo naturas", ne scripturae Geneseos contradicatur, ubi apertissime legitur consummasse Deum omnia opera sua. Nam et quod eum scriptum est requievisse, utique a creandis novis creaturis intellegendum est, non a gubernandis, quia tunc ea, quae non erant, fecit, a quibus faciendis requievit, quia consummaverat omnia, quae, antequam essent, vidit esse facienda, ut deinceps non ea, quae non erant, sed ex his, quae iam erant, crearet et faceret, quicquid faceret. Ita utrumque verum esse monstratur, et quod dictum est: Requievit ob operibus suis et quod dictum est: Usque nunc operatur, quoniam Genesi non potest evangelium esse contrarium.

12 Verum his, qui haec ideo dicunt, ne credatur modo Deus sicut illam unam novas animas, quae non erant, facere, sed ex illa una, quae iam erat, eas creare vel ex fonte aliquo sive thesauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere, facile respondetur etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis, quas iam creaverat, sicut ex aquis alites et pisces, ex terra autem arbores, faenum, animalia. Sed quod ea, quae non erant, tunc fecerit, manifestum est; nulla enim erat avis, nullus piscis, nulla arbor, nullum animal et bene intellegitur ab his creatis requievisse, quae non erant et creata sunt, id est cessasse, ne ultra, quae non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur animas non in nescio quo fonte iam existentes mittere nec de se ipso tamquam suas particulas inrorare nec de illa una originaliter trahere nec pro delictis ante carnem commissis carneis vinculis compedire sed novas creare singulas singulis suam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat. Jam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam, quod utique secundum animam rationalem fecisse intellegitur. Hoc et nunc facit non instituendo, quod non erat, sed multiplicando, quod erat. Unde et illud verum est, quod a rebus, quae non erant, instituendis requievit, et hoc verum est, quod non solum gubernando, quae fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum sed quod iam creaverat, numerosius creando usque nunc operatur. Vel sic ergo vel alio quolibet modo eximus ab eo, quod nobis obicitur de requie Dei ab operibus suis, ne propterea non credamus nunc usque fieri animas novas non ex illa una, sed sicut illam unam.

---

quaedam praeconditis causis; sicut non solum praesentia, verum etiam futura fecit omnipotens et ab eis factis requievit, ut eorum deinceps administratione atque regimine crearet etiam ordines temporum et temporalium. Ad. Aug. notionem requiei Dei cf. de civ. Dei XII 18 (*ed. E. Hoffmann* [CSEL 40, 1, 598]).

4 sq. cf. Gen. 2, 2. 10 *Gen 2, 2. 10 sq. *Joh 5, 17.

15—17 cf. Gen 1, 11 sq.; 20—25.

26 sq. cf. Gen 1, 26 sq.; Aug., de Gen. ad litt. III 19, 29—23, 34 (*ed. Zycha* [CSEL 28, 1, 84—91]).

Nam quod dicitur: „Quare facit animas eis, quos novit cito mori- 13
turos?“, possumus respondere parentum hinc peccata vel convinci vel flagellari. Possumus etiam recte illius moderationi ista relinquere, quem scimus omnibus temporaliter transeuntibus rebus, ubi sunt etiam animalium ortus et obitus, cursum ornatissimum atque ordi- 5
natissimum dare, sed nos ista sentire non posse, quae si sentiremus, delectatione ineffabili mulceremur. Non enim frustra per prophetam, qui haec divinitus inspirata didicerat, dictum est de Deo: Qui profert numerose saeculum. Unde musica, id est scientia sensusve modulandi ad admonitionem magnae rei etiam mortalibus rationales haben- 10
tibus animas Dei largitate concessa est. Unde si homo faciendi artifex carminis novit, quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud, quod canitur, decedentibus ac succedentibus sonis pulcherrime currat et transeat, quanto magis Deus, cuius sapientia, per quam fecit omnia, longe omnibus artibus praeferenda est, nulla in naturis nascentibus 15
et occidentibus temporum spatia, quae tamquam syllabae ac verba ad particulas huius saeculi pertinent, in hoc labentium rerum tamquam mirabili cantico vel brevius vel productius, quam modulatio praecognita et praefinita deposcit, praeterire permittit! Hoc cum etiam de arboris folio dixerim et de nostrorum numero capillorum, 20
quanto magis de hominis ortu et occasu, cuius temporalis vita brevius productiusve non tenditur, quam Deus, dispositor temporum, novit universitatis moderamini consonare!

Id etiam, quod aiunt omne, quod in tempore coepit esse, inmortale 14
esse non posse, quia „omnia orta occidunt et aucta senescunt“, ut eo 25
modo credi cogant animum humanum ideo esse inmortalem, quod ante omnia tempora sit creatus, non movet fidem nostram. Ut enim alia taceam, coepit esse in tempore inmortalis carnis Christi, quae tamen iam non moritur et mors ei ultra non dominabitur.

Illud vero, quod in libro adversus Rufinum posuisti, quosdam huic 30 15
sententiae calumniari, quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indignum, unde conantur adstruere meritis gestae ante carnem vitae animas quasi ad ergastula huius modi iuste posse perduci, non me movet multa cogitantem, quibus haec possit calumnia refutari. Et quod ipse respondisti non esse vitium sementis in tritico, quod 35
furto dicitur esse sublatum, sed in eo, qui frumenta furatus est, nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confovere, quia sator

---

3—6 cf. Aug., de lib. arbitr. III 9, 24—28. 66 (PL 32, 1282—1285, 1303 sq.).
8 sq. Is 40, 26 sec. LXX. 9—11 cf. Aug. de musica libros sex (PL 32, 1081—1194). 14 sq. cf. Sap 7, 22. 20 sq. cf. Mt 10, 30; Luc 12, 7.
21 sq. cf. Mt. 6, 27; Lc 12, 25. 25 sq. Sallust., Jug. 2, 3. 29 *Rom 6, 9.
30 sqq. Hier. Apol. adv. libros Rufini III 28 (PL 23, 478).
34 cf. Aug. ep. 180, 2 ad Oceanum (*ed. Goldb.* III 698).

inmunda ea proiecerit manu, elegantissima similitudo est. Quam et antequam legerem, nullas mihi obiectio ista de adulterinis fetibus in hac quaestione faciebat angustias generaliter intuenti multa bona Deum facere etiam de nostris malis nostrisque peccatis. Animalis autem cuiuscumque creatio, si habeat prudentem piumque consideratorem, ineffabilem laudem creatori excitat, quanto magis creatio non cuiuslibet animalis sed hominis! Si autem causa creandi quaeritur, nulla citius et melius respondetur nisi quia omnis creatura Dei bona est; et quid dignius, quam ut bona faciat bonus Deus, quae nemo potest facere nisi Deus?

VI 16 Haec et alia, quae possum, sicut possum, dico adversus eos, qui hanc opinionem, qua creduntur animae sicut illa una singulis fieri, labefactare conantur. Sed cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coartor angustiis nec, quid respondeam, prorsus invenio; non solum eas poenas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christianae gratiae sacramento, sed eas ipsas, quae in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus quam exempla dificiunt. Languescunt aegritudinibus, torquentur doloribus, fame et siti cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus, vexantur ab inmundis spiritibus. Demonstrandum est utique, quo modo ista sine ulla sua mala causa iuste patiantur. Non enim dici fas est aut ista ignorante Deo fieri aut eum non posse resistere facientibus aut iniuste ista vel facere vel permittere. Num quidnam, sicut animalia inrationabilia recte dicimus in usus dari naturis excellentioribus etsi vitiosis, sicut apertissime in evangelio videmus porcos ad usum desideratum concessos esse daemonibus, hoc et de homine recte possumus dicere? Animal est enim sed rationale etsi mortale. Anima est rationalis in illis membris, quae tantis afflictionibus poenas luit. Deus bonus est, Deus iustus est, Deus omnipotens est; hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum, quae fiunt in parvulis, causa iusta dicatur. Nempe cum maiores ista patiuntur, solemus dicere aut sicut in Job merita examinari aut sicut in Herode peccata puniri et de quibusdam exemplis, quae Deus manifesta esse voluit, alia quae obscura sunt, hominum coniecturae conceditur. Sed hoc in maioribus. De parvulis autem quid respondeamus, edissere,

35 conceditur] concedi *Hilberg.*

11 sqq. ad hoc cp. et sequens cf. Aug., de civ. Dei XXII 22 (*ed. E. Hoffmann* [CSEL 40, 2, 635—640]); c. Julian. Pelag. III 9—13 (PL 44, 706—709); op. imperf. c. Julian. I 49; II 13. 87; III 144; V 64; VI 36 (PL 45, 1071 sq. 1146 sq. 1177. 1304 sq. 1503—1506. 1590—1595).

15—17 cf. p. 110, 33—36. 26 sq. cf. Mt 8, 31 sq.; Mc 5, 12 sq.; Lc 8, 32 sq.

si poenis tantis nulla in eis sunt punienda peccata; nam utique nulla est in illis aetatibus examinanda iustitia.

De ingeniorum vero diversitate quid dicam? Quae quidem in parvulis latet, sed ab ipsis exordiis naturalibus ductum apparet in grandibus, quorum nonnulli tam tardi et obliviosi sunt, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint, quidam vero tantae sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo vocant. Respondetur fortasse: „Corpora hoc faciunt." Sed numquid secundum hanc sententiam, quam defendi volumus, anima sibi corpus elegit et in eligendo, cum falleretur, erravit? Aut, cum in corpus cogeretur intrare necessitate nascendi, alia corpora praeoccupantibus animarum turbis ipsa aliud non invenit et sicut in spectaculo aliquo locum ita carnem, non quam voluit, sed quam valuit, occupavit? Numquid haec et talia dicere possumus vel sentire debemus? Doce igitur, quid sentire, quid dicere debeamus, ut constet nobis ratio novarum animarum singulis corporibus singillatimque factarum. 17

Ego quidem non de ingeniis, sed saltem de poenis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis „De libero arbitrio". Quod quale sit et cur mihi in ista, quam habemus in manibus, quaestione non sufficiat, intimabo et eum ipsum de tertio libro locum secerptum his litteris inseram. Nam ita se habet: „De cruciatibus autem corporis, quibus affliguntur parvuli, quorum per aetatem nulla peccata sunt, si animae, quibus animantur, non prius quam ipsi homines esse coeperunt, maior querela et quasi misericors deponi solet. Cum dicitur: Quid mali fecerunt, ut ista paterentur? Quasi possit esse innocentiae meritum, antequam quisque nocere aliquid possit! Cum autem boni aliquid operatur Deus in emendatione maiorum, cum parvulorum suorum, qui eis cari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur, cur ista non fiant, quando, cum transierint, pro non factis erunt, in quibus facta sunt, propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati rectius elegerint vivere, aut excusationem in futuri iudicii supplicio non habebunt, si vitae huius angoribus ad aeternam vitam desiderium convertere noluerint? Quis autem novit, quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur aut exercetur fides aut misericordia probatur, quis ergo novit, quid ipsis parvulis in secreto iudiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus, quoniam, quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt? Non enim frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat ecclesia". VII 18

8 Sententia Platonicorum, Stoicorum et Gnosticorum.
21—40 = de lib. arb. III 68 (PL 32, 1304). 38—40 cf. Mt 2, 1—18.

19 Haec tunc dixi, cum hanc ipsam, de qua nunc agitur, vellem communire sententiam. Sicut enim paulo ante commemoravi, quaecumque illarum de animae incarnatione quattuor opinionum vera esset, inculpatam substantiam creatoris et a nostrorum peccatorum societate remotissimam nitebar ostendere. Et ideo, quaecumque illarum veritate posset convinci et repudiari, ad curam intentionis meae, quam tunc habebam, non pertinebat, quando quidem cunctis diligentiore disputatione discussis, quaecumque illarum recte vinceret ceteras, me securissimo fieret, quando etiam secundum omnes id, quod agebam, invictum persistere demonstrabam. Nunc vero unam volo, si possim, rationem rectam eligere ex omnibus et propterea huius ipsius, de qua nunc agimus, defensionem in his, quae commemoravi de illo libro, verbis meis attentius intuens validam firmamque non video.

20 Nam velut firmamentum eius illud est, quod ibi dixi: „Quis autem novit, quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur aut exercetur fides aut misericordia probatur, quis ergo novit, quid ipsis parvulis in secreto iudiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?“ Sed hoc non inmerito dici video de his, qui vel pro Christi nomine ac vera religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur vel sacramento Christi iam inbuti sunt, quia sine societate unius mediatoris liberari a damnatione non possunt, ut possit eis etiam pro illis malis, quae hic in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio illa praestari. Nunc autem cum ista quaestio non possit absolvi, nisi etiam de his parvulis respondeatur, qui post gravissimos cruciatus sine sacramento Christianae societatis expirant, quae circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper et damnatio praeparata est? Nam et de baptismo parvulorum in eodem libro non quidem sufficienter, sed, quantum illi operi satis esse videbatur, utcumque respondi, quod etiam nescientibus et fidem suam nondum habentibus prodest, non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non, quod nunc agitur, agebatur.

21 Sed ut omittamus et contemnamus ea, quae brevi tempore patiuntur nec transacta revocantur, numquid similiter contemnere possumus, quod per unum hominem mors et per unum hominem resurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Per hanc enim apostolicam divinam claramque sententiam satis evidenter elucet

---

2—5 cf. p. 110, 10 sqq. 14—18 Aug. de lib. arb. III 68 (PL 32, 1304).
20 sq. cf. 1 Tim 2, 5. 26—29 cf. Aug. de lib. arb. III 67 (PL 32, 1304).
35—37 *1 Cor 15, 21 sq.
37—109, 2 cf. Aug. de pecc. orig. 28 (*ed. C. F. Vrba et J. Zycha*, [CSEL 42, 186 sq.]): In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub

neminem ire in mortem nisi per Adam, neminem in vitam aeternam nisi per Christum. Hoc est quippe „omnes" et „omnes", quia, sicut omnes homines per primam, hoc est per carnalem, generationem pertinent ad Adam, sic omnes homines ad secundam, id est spiritalem, generationem veniunt, quicumque ad Christum perveniunt. Ideo ergo dictum est et hic „omnes" et ibi „omnes", quia sicut omnes, qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur, ita omnes, qui vivificabuntur, non nisi in Christo vivificabuntur. Ac per hoc, quisquis nobis dixerit quemquam resurrectione mortuorum vivificari nisi in Christo, tamquam pestis communis fidei detestandus est. Item, quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostoli praedicationem venit et totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. Qui autem non vivificantur in Christo, restat, ut in ea condemnatione maneant, de qua dicit apostolus: Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. Cui delicto obnoxios parvulos nasci et omnis credit ecclesia et ipse iam contra Jovinianum disputans et exponens Jonam prophetam, sicut paulo ante commemoravi, fide veracissima definisti, credo et in aliis locis opusculorum tuorum, quae vel non legi vel in praesentia non recordor. Huius igitur damnationis in parvulos causam requiro, quia neque animarum, si novae fiunt singulis singulae, video esse ullum in illa aetate peccatum nec a Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere peccatum.

An forte dicendum est in parvulo carnem solam esse peccati, novam VIII 22
vero illi animam fieri, qua secundum Dei praecepta vivente in adiutorio gratiae Christi et ipsi carni edomitae ac subiugatae possit incorruptionis meritum comparari? Sed quia in parvulo anima nondum id agere potest, si Christi acceperit sacramentum, per hanc gratiam carni eius adquiritur, quod illius moribus nondum potuit; si autem sine illo sacramento anima parvuli exierit, ipsa quidem in aeterna vita erit, unde eam nullum peccatum potuit separare, caro vero eius non resurget in Christo non percepto ante mortem illius sacramento?

---

peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam ... in horum ergo duorum hominum causa proprie fides christiana consistit. Ad. Aug. interpretationem huius loci S. Pauli cf. de Gen. ad litt. X 16, 29 (*ed. J. Zycha* [CSEL 28, 1, 316 sq.]); de peccat. mer. et rem. III 11, 19. 20 (CSEL 60, 145—148); de nupt. et concup. II, 46 (*ed. C. F. Vrba et J. Zycha* [CSEL 42, 299 sq.]); c. Julian. Pel. VI 4, 10 (PL 44, 827 sq.).

10—25 cf. Aug., de pecc. merit. et rem. I 58—61; III 3, 6 (CSEL 60, 57—62. 132 sq.); ep. 98, 10 ad Bonifat. (*ed. Goldb.* II 531 sq.).

17 sq.* Rom 5, 18. 19—21 cf. p. 100, 22—101, 6.

26 sq. cf. Rom 8, 3.

23 Hanc opinionem numquam audivi, numquam legi, sed plane audivi et credidi, propter quod et locutus sum, quia veniet hora, quando omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae — ipsa est, de qua dicitur: Et per unum hominem resurrectio mortuorum, ipsa est, qua in Christo omnes vivificabuntur —, qui autem male egerunt, in resurrectionem iudicii. Quid hic ergo de illis infantibus intellegendum est, qui, priusquam possent agere vel bene vel male, sine baptismo corpore exuti sunt? Nihil hic de talibus dictum est. Sed si caro eorum ideo non resurget, quia nec boni aliquid egerunt nec mali, nec illorum resurrectura est, qui percepta baptismi gratia in illa aetate defuncti sunt, in qua nihil bene vel male agere potuerunt. Si autem illi inter sanctos resurgent, id est inter eos, qui bene egerunt, inter quos et illi resurrecturi sunt nisi inter eos, qui male egerunt, ne aliquas humanas animas credamus corpora sua non recepturas sive in resurrectionem vitae sive in resurrectionem iudicii? Quae sententia, priusquam refellatur, ipsa novitate iam displicet. Deinde qui ferat, si credant se illi, quis ad baptismum cum suis parvulis currunt, propter carnes eorum, non propter animas currere? Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed ecclesiae fidem firmissimam servans ad corrigendos eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum, non carnem, sed animam diæt non esse perdendam et mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit.

24 Sed contra Cypriani aliquam opinionem, ubi, quod videndum fuit, fortasse non vidit, sentiat quisque, quod libet; tantum contra apostolicam manifestissimam fidem nemo sentiat, qui ex unius delicto omnes in condemnationem duci praedicat, ex qua condemnatione non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, in quo uno omnes vivificantur, quicumque vivificantur; contra ecclesiae fundatissimum morem nemo sentiat, ubi ad baptismum, si propter parvulorum sola corpora curreretur, baptizandi offerentur et mortui.

25 Quae cum ita sint, quaerenda causa atque reddenda est, quare damnenter animae, quae novae creantur singulis quibusque nascentibus, si praeter Christi sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et Sancta Scriptura et sancta est testis Ecclesia. Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea, si oppugnat, non sit et tua.

---

2 * Ps 115, 1. 2—5 Joh *5, 28 sq. 5—7 *1 Cor 15, 21 sq. 18 sqq. cf. Aug., de Gen. ad litt. X 11, 19 (CSEL 28, 1, 308); Sermo 176, 2 (PL 38, 950). 20 sqq. cf. Cyprian. ep. 64, 2—6 (*ed. Hartel* [CSEL 3, 2, 718—721]). 27 sq. cf. Rom 5, 18. 28 sq Rom 7, 24 sq. 30 cf. 1 Cor 15, 22. 35 sq. ex S. Script. Aug. saepius affert Joh 3, 5; cf. ep 98, 2 ad Bonifatium

Nolo mihi dicatur pro hac sententia debere accipi, quod scriptum 26
est: Qui finxit spiritum hominis in ipso et: Qui finxit singillatim corda eorum. Aliquid fortissimum atque invictissimum requirendum est, quod nos non cogat Deum credere ullarum animarum sine culpa aliqua damnatorem. Nam vel tantundem valet vel plus est forsitan creare quam fingere et tamen scriptum est: Cor mundum crea in me, Deus. Nec ideo putari potest anima hoc loco optare se fieri, priusquam aliquid esset. Sicut ergo iam existens creatur innovatione iustitiae, sic iam existens fingitur conformatione doctrinae. Nec illud, quod in Ecclesiaste scriptum est: Tunc convertetur in terram pulvis, sicut fuit, et spiritus revertetur ad Dominum, qui dedit illum, istam confirmat sententiam, quam esse volumus nostram; plus enim hoc suffragatur eis, qui ex una putant omnes esse animas. Nam sicut convertitur, inquiunt, pulvis in terram, sicut fuit, et tamen caro, de qua hoc dictum est, ad hominem non revertitur, ex quo propagata est, sed ad terram, unde primus homo factus est, sic et spiritus ex illius unius spiritu propagatus non tamen ad eum revertitur,

---

(*ed. Goldb.* II 521); de pecc. merit. et rem. I 10. 30 (CSEL 60, 11 sq.; 28 sq.); de civ. Dei XXI 27 (CSEL 40, 2, 576). Contra Pelagianorum sententiam, qui peccatum originale negantes parvulos „propter accipiendum regnum coelorum tantummodo baptizandos esse contendunt" (de pecc. orig. 19 [CSEL 42, 2, 180]; cf. ep. 186, 32; Sermo 294, 2 sq.), non vero ad salutem aeternam, Aug. parvulos non baptizatos damnari docuit; cf. de pecc. merit. et rem. II 27, 43 (CSEL 60, 114 sq.); Enchir. 93, 13 (PL 40, 275); c. Julian. Pelag. VI 19, 62 (PL 44, 860 sq.) V, 11, 44 (PL 44, 809): ego autem non dico parvulos sine Christi baptismate tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret . . . Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum nec ullis propriis aggravantur, in damnatione levissima futuros? cf. vero Aug. ipsius sententiam priorem de lib. arb. III 23, 66 (PL 32, 1304): Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia iudicis media esse non possit inter praemium atque supplicium.

1—3 cf. Aug. de Gen. ad litt. X 6 (*ed. Zycha* [CSEL 28, 1, 302 sq.]): Et illud quod scriptum est: Qui finxit singillatim corda eorum, si nomine cordium voluerimus animas intellegere, neque hoc repugnat cuiquam duorum, de quibus nunc ambigimus. Sive enim ex una illa quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas fingit, sicut etiam corpora; sive singulas vel fingat et mittat, vel in eis ipsis quibus miserit, eas fingat: quamquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quod per gratiam nostrae animae ad imaginem Dei renovatione formantur. . . . Sed etiam hoc (Zach 12, 1) . . . in utramque sententiam duci potest.

2 *Zach 12, 1. 2 sq. Ps 32, 15.

6 sq. Ps 50, 12; cf. Aug. de Gen. ad litt. X 6.

10—12 Eccle 12, 7; cf. Hier. comm. in Eccle 12, 7 (PL 23, 1112): „Ex quo satis ridendi, qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari . . . ; manifestum est Deum parentem animarum esse, non homines", et ex altera parte Aug. de Gen. ad litt. X 9, 15 (CSEL 28, 1, 305 sq.): „Illud etiam, quod apud Ecclesiasten scriptum est: Et convertetur pulvis . . ., neutri sententiae contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistit."

sed ad Dominum, a quo illi datus est. Verum quia hoc testimonium ita pro istis sonat, ut non omni modo huic opinioni, quam defendi volo, videatur esse contrarium, admonendam tantum credidi prudentiam tuam, ne talibus testimoniis ex his angustiis me coneris eruere. Nam licet nemo faciat optando, ut verum sit, quod verum non est, tamen, si fieri posset, optarem, ut haec sententia vera esset, sicut opto, ut, si vera est, abs te liquidissime atque invictissime defendatur.

IX 27 Haec autem difficultas etiam illos sequitur, qui iam existentes alibi animas et ab initio divinorum operum praeparatas a Deo mitti opinantur in corpora. Nam et ab his hoc idem quaeritur: Si animae inculpatae oboedienter veniunt, quo mittuntur, cur in parvulis, si non baptizati vitam istam finierint, puniuntur? Eadem prorsus in utraque sententia difficultas est. Illi sibi videntur de hac facilius exire quaestione, qui animas adseverant pro meritis vitae prioris singulas singulis corporibus implicari. Hoc enim putant esse in Adam mori, in carne scilicet, quae propagata est ex Adam, supplicia pendere, a quo reatu, inquiunt, gratia Christi liberat pusillos cum magnis. Hoc quidem recte, veraciter, optime, quod gratia Christi liberat a reatu peccatorum pusillos cum magnis. Sed in alia superiore vita peccare animas et inde praecipitari in carceres carneos non credo, non adquiesco, non consentio: primo, quoniam per nescio quos circuitus id agunt isti, ut post nescio quanta volumina saeculorum iterum ad istam sarcinam corruptibilis carnis et supplicia pendenda redeundum sit, qua opinione quid horribilius cogitari possit, ignoro; deinde quis tandem iustus defunctus est, de quo non, si isti vera dicunt, solliciti esse debeamus, ne in sinu Abrahae peccans in flammas illius divitis deiciatur? Cur enim non et post hoc corpus peccari possit, si et ante potuit? Postremo longe aliud est in Adam peccasse — unde dicit apostolus: In quo omnes peccaverunt — et aliud est extra Adam nescio ubi peccasse et ideo in Adam, id est in carnem, quae ex Adam propagata est, tamquam in carcerem trudi. Illam vero opinionem, quod ex una fiant omnes animae, nec discutere volo, nisi necesse sit, atque utinam ista, de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur, ut hoc necesse iam non sit.

28 Quamvis autem desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem et expectem, ut per te mihi Dominus huius rei auferat ignorantiam, tamen, si — quod absit — minime meruero, patientiam mihi petam a Domino

---

4 „Aliquid ergo certum de animae origine nondum in Scripturis canonicis comperi" (Aug. ep. 190, 5, 17 ad Optatum, *ed. Goldb.* IV 152).

13—15 cf. Aug. de civ. Dei XII 26 (*ed. E. Hoffmann* [CSEL 40, 1, 609—612]); Retract. I 1, 3 (PL 32, 587).

15 sq. cf. 1 Cor 15, 22.

19 sqq. cf. Aug. de pecc. orig. 36 (*ed. Vrba et Zycha* [CSEL 42, 2, 195]).

25 sq. cf. Lc. 16, 22 sq.. 28 Rom 5, 12; cf. supra p. 103, 4.

Deo nostro, in quem sic credimus, ut aliqua nobis non aperiri etiam pulsantibus nullo modo adversus eum murmurare debeamus. Memineri-mus ipsis apostolis dictum: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. In his, quantum ad me adtinet, etiam hoc deputem nec, qui hoc sciam, me indigner indignum, ne hoc ipso etiam convincar indignior. Multa enim alia similiter nescio, quae commemorare vel numerare non possum; et hoc tolerabiliter ignorarem, nisi metuerem, ne aliqua istarum opinionum contra illud, quod firmissima retinemus fide, incautis obreperet mentibus. Sed antequam sciam, quaenam earum potius eligenda sit, hoc me non temere sentire profiteor, eam, quae vera est, non adversari robustissimae ac fundatissimae fidei, qua Christi ecclesia nec parvulos homines recentissime natos a damnatione credit nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis sacramentis commendavit, posse liberari.

Epistula Augustini 167 (Hier. 132).

Augustinus ad Hieronymum de sententia Jacobi apostoli.

Quod ad te scripsi, honorande mihi in Christo frater Hieronyme, I 1
quaerens de anima humana, si nascentibus singulis novae singulae nunc usque fiunt, ubi peccati vinculum contrahant, quod per sacramentum gratiae Christi etiam in infantibus recens natis non dubitamus esse solvendum, cum in non parvum volumen procederet, nolui ulla alia onerare quaestione. Sed quod urguet acrius, multo minus est neglegendum. Proinde quaero et per Dominum obsecro, ut exponas mihi, quod multis existimo profuturum, aut, si iam vel abs te vel ab aliquo expositum habes, dirigas nobis, quo modo accipiendum sit, quod in epistula Jacobi apostoli est: Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Quae res talis ac tanta est, ut, quod hinc tibi non iam olim scripsi, me multum paeniteat.

De agenda namque praesenti vita, quo modo ad vitam perveniamus 2
aeternam, non de praeterita perscrutanda, quam penitus demersit

15 Aug. Retract. II 45: Scripsi etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethleem, unum de origine animae hominis, alterum de sententia Jacobi apostoli, ubi ait: Quicumque totam legem servaverit etc. (PL 32, 649). Eandem sententiam Jacobi tractavit Aug. in brevi Sermone ab *A. Wilmart edito (Revue d'Ascétique et de Mystique* II *[1921] 351—372), quem citabimus in sequenti* „Aug. sermo *ed. a Wilmart.*"

1 sq. cf. Mt 7, 7 sq.; Lc 11, 9 sq. 3 sq. *Joh 16, 12. 27—29 *Jac 2, 10.

oblivio, sicuti est illud, quod de anima quaerendum putavi, haec vertitur quaestio. Eleganter autem dictum esse narratur, quod huic rei satis apte convenit. Cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam suffocaret, ne loquere- tur, accessit alius eoque viso miserans ait: „Quo modo huc cecidisti?“ At ille: „Obsecro“, inquit, „quo modo hinc me liberes, non, quo modo huc ceciderim, quaere.“ Ita, quoniam fatemur et fide catholica tenemus de reatu peccati tamquam de puteo etiam parvuli infantis animam Christi gratia liberandam, satis est ei, quod modum, quo salva fiat, novimus, etiam si numquam, quo modo in malum illud devenerit, noverimus. Sed ideo putavi esse quaerendum, ne forte ex illis opinionibus incarnationis animae aliquam teneamus incautius, quae liberandam prorsus animam parvuli contradicat negans eam esse in isto malo. Hoc igitur firmissime retento, quod anima parvuli de reatu peccati liberanda est nec alio modo liberanda nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, si possumus etiam ipsius mali causam et originem nosse, vaniloquis non disputatoribus sed litigatoribus paratius instructiusque resistimus; si autem non possumus, non, quia latet miseriae principium, ideo pigrescere misericordiae debet officium. Adversus eos autem, qui sibi videntur scire, quod nesciunt, hoc tutiores sumus, quod hanc ignorantiam nostram non ignoramus. Aliud est enim, quod nescire malum est, aliud, quod sciri vel non potest vel non opus est vel ad vitam, quam quaerimus, indifferens est. Hoc vero, quod de litteris apostoli Jacobi nunc requiro, in hac ipsa, qua vivimus et, ut semper vivamus, Deo placere studemus, actione versatur.

3 Quo modo ergo intellegendum est, obsecro te: Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus? Itane, qui furtum fecerit, immo vero qui dixerit diviti: „Hic sede“, pauperi autem: „Tu sta illic“, et homicidii et adulterii et sacrilegii reus est? Quod si non est, quo modo, qui in uno offendit, factus est omnium reus? An illud, quod dixi de divite et paupere, ad ista non pertinet, quorum si quis in uno offenderit, fiet omnium reus? Sed recolendum est, unde venerit ista sententia et quae illam superiora pepererint quibusque conexa dependeat. Fratres mei, nolite, inquit, in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriae. Etenim si introierit in conventu vestro vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dicatis: „Tu sede hic bene“, pauperi autem dicatis: „Tu sta illic“ aut: „Sede sub scabello pedum meorum“,

15 cf. sq. Rom 7, 24 sq. 28 sq. cf. Jac 2, 3. 34 sqq. *Jac. 2, 1—6.

nonne iudicastis apud vosmet ipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite, fratres mei dilectissimi: nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide et heredes regni, quod promisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem, propter illum scilicet, cui dictum est: „Tu sta illic", cum habenti anulum aureum dictum esset: „Tu sede hic bene". Ac deinde sequiter eandem ipsam sententiam latius versans et explicans: Nonne, inquit, divites per potentiam opprimunt vos et ipsi adtrahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? Si quidem legem perficitis regalem secundum Scripturas: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum", bene facitis; si autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti a lege quasi transgressores. Videte, quem ad modum transgressores legis appellet, qui dicunt diviti: „Sede hic" et pauperi: „Sta illic". Unde, ne putarent contemptibile esse peccatum in hac una re legem transgredi, secutus adiunxit: Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: „Non moechaberis", dixit et: „Non occides". Quod si non occides, moechaberis autem, factus est transgressor legis propter illud, quod dixerat: Redarguti a lege quasi transgressores. Quae cum ita sint, consequens videtur — nisi alio modo intellegendum ostendatur —, ut, qui dixerit diviti: „Sede hic" et pauperi: „Sta illic" huic honorem ampliorem quam illi deferens, et idolatres et blasphemus et adulter et homicida et, ne — quod longum est — cuncta commemorem, reus omnium criminum iudicandus sit; offendens quippe in uno factus est omnium reus.

At enim, qui unam virtutem habet, omnes habet et, qui unam non habet, nullam habet. Hoc si verum est, confirmatur ista sententia. Sed ego eam exponi volo, non confirmari, quae per se ipsam est apud nos omnium philosophorum auctoritatibus firmior. Et illud quidem de virtutibus et vitiis si veraciter dicitur, non est consequens, ut propter hoc omnia peccata sint paria. Nam illud de inseparabilitate virtutum, etsi forsitan fallor, tamen, si verum memini, quod vix memini, omnibus II 4

8—14 *Jac 2, 6—9. 17—21 *Jac 2, 10 sq.

29 sqq. cf. ad hanc sententiam e. gr. Plato, Protagoras 329 e: ἢ ἀνάγκη ἐάνπερ τις ἓν λάβῃ, ἅπαντ' ἔχειν; Zeno apud Diog. Laert. VII 125: τὸν μίαν (ἀρετὴν) ἔχοντα πάσας ἔχειν; Cicero, de officiis II 10, 35: cum . . . constet . . ., qui unam haberet, omnes habere virtutes. — Secundum Stoicorum doctrinam virtus aliquid indivisibile est; homo aut bonus aut malus est. *Cf. E. Zeller, Philosophie der Griechen III, 1⁴ (Lipsiae 1909) 251—263.* Ad quaestionem, quomodo ad hanc sententiam doctrina S. Jacobi se habeat, cf. e. g. *M. Dibelius, Der Brief des Jakobus (Gottingae 1921) 135—137.*

philosophis placuit, qui easdem virtutes agendae vitae necessarias esse dixerunt. Hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani. Quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem et defensitandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis Sanctis dilucidissime convicisti. In qua tua suavissima et praeclarissima disputatione satis evidenter apparuit non placuisse auctoribus nostris vel ipsi potius, quae per eos locuta est, veritati omnia paria esse peccata. Quo modo autem fieri possit, ut, etiam si hoc de virtutibus verum est, non tamen ideo cogamur fateri aequalitatem omnium peccatorum, quantum possum, adiuvante Domino aperire conabor. Quod si effecero, adprobabis; ubi causae defuero, tu supplebis.

5 Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerit, habere omnes et omnes deesse, cui una defuerit, quod prudentia nec ignava nec iniusta nec intemperans potest esse; nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro, si prudentia tunc erit, si et fortis et iusta et temperans sit, profecto, ubi fuerit, secum habet ceteras. Sic et fortitudo inprudens esse non potest vel intemperans vel iniusta; sic temperantia necesse est ut prudens, fortis et iusta sit; sic iustitia non est, si non sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliae similiter sunt. Ubi autem aliae desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.

6 Sunt enim, ut scis, quaedam vitia virtutibus aperta discretione contraria, ut inprudentia prudentiae. Sunt autem quaedam tantum, quia vitia sunt, ideo contraria, quadam tamen specie fallaci similia, ut eidem prudentiae non inprudentia sed astutia. Nunc enim eam dico astutiam, quae usitatius in malitiosis intellegi et vocari solet, non sicut loqui nostra Scriptura consuevit, quae saepe astutiam in bono ponit, unde est: Astuti ut serpentes et illud: Ut det innocentibus astutiam. Quamquam et apud illos Romanae linguae disertissimus dixerit: „Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutia deerat" astutiam ponens in bono; sed apud illos rarissimum, apud nostros autem frequentissimum est. Itemque in partibus temperantiae apertissime contraria est effusio parsimoniae; ea vero, quae tenacitas etiam vulgo dici solet, vitium est quidem, tamen parsimoniae simile non natura sed fallacissima specie. Item dissimilitudine manifesta contraria est iniustitia iustitiae; solet autem quasi imitari iustitiam vindicandi libido, sed vitium est. Ignavia fortitudini perspicue contraria

2 sq. cf. Aug. ep. 104, 13—17 (*ed. Goldb.* II 591—595).
4 sq. cf. Hier. adv. Jovin. I 1 (PL 23, 211): „Epicurus Christianorum"; II 21 (ibid. 315); II 36 (ibid. 333 sq.).
5 sq. Hier. adv. Jovin. II 21—34 (PL 23, 315—333).
29 * Mt 10, 16. 29 sq. *Prov. 1, 4. 31 Sallust., Cat. 26, 2.

est; duritia vero distat natura, fallit similitudine. Constantia pars quaedam virtutis est; ab hac inconstantia longe abhorret et indubie contrasistit, pertinacia vero constantia dici affectat et non est, quia illa est virtus, hoc vitium.

Ut ergo non iterum eadem commemorare necesse sit, exempli gratia 7
ponamus aliquid, unde possint cetera intellegi. Catilina, ut de illo scripserunt, qui nosse potuerunt, frigus, sitim, famen ferre poterat eratque „patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est", ac per hoc suis et sibi magna praeditus fortidutine videbatur. Sed haec fortitudo prudens non erat — mala enim pro bonis eligebat —, temperans non erat — corruptelis enim turpissimis foedabatur —, iusta non erat — nam contra patriam coniuraverat —, et ideo nec fortitudo erat, sed duritia sibi, ut stultos falleret, nomen fortitudinis inponebat. Nam si fortitudo esset, non vitium, sed virtus esset; si autem virtus esset, a ceteris virtutibus tamquam inseparabilibus comitibus numquam relinqueretur.

Quapropter cum quaeritur etiam de vitiis, utrum et ipsa similiter et 8
omnia sint, ubi unum erit, aut nulla sint, ubi unum non erit, laboriosum est id ostendere propterea, quia uni virtuti duo vitia opponi solent, et quod aperte contrarium est et quod specie similitudinis adumbratur. Unde illa Catilinae quia fortitudo non erat, quae secum virtutes alias non habebat, facilius videbatur; quod vero ignavia fuerit, ubi exercitatio quaslibet gravissimas molestias perpetiendi atque tolerandi „supra, quam cuiquam credibile est", fuit, aegre persuaderi potest. Sed forte acutius intuentibus ignavia apparet ipsa duritia, quia laborem bonorum studiorum, quibus vera adquiritur fortitudo, neglexerat. Verum tamen, quia sunt audaces, qui timidi non sunt, et rursus timidi, a quibus absit audacia, cum sit utrumque vitium, quoniam, qui vera virtute fortis est, nec temere audet nec inconsulte timet, cogimur fateri vitia plura esse virtutibus.

Unde aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniae, 9
aliquando unum cedit, ut plura succedant, velut qui ebriosus fuit, si modicum libere tenacitate et ambitione didicerit. Possunt itaque vitia cedere etiam vitiis succedentibus, non virtutibus, et ideo plura sunt. Virtus vero quo una ingressa fuerit, quoniam secum ceteras ducit, profecto vitia cedent omnia, quaecumque inerant; non enim omnia inerant, sed aliquando totidem, aliquando plura paucioribus vel pauciora pluribus succedebant.

Haec utrum ita se habeant, diligentius inquirendum est. Non enim IIII10
et ista divina sententia est, qua dicitur: „Qui unam virtutem habuerit, omnes habet eique nulla est, cui una defuerit". Sed hominibus hoc

8 sq. Sallust., Cat. 5, 3.

visum est multum quidem ingeniosis, studiosis, otiosis, sed tamen hominibus. Ego vero nescio, quem ad modum dicam. Non dico virum, a quo denominata dicitur virtus, sed etiam mulierem, quae viro suo servat tori fidem, si hoc faciat propter praeceptum et promissum Dei eique primitus sit fidelis, non habere pudicitiam aut eam nullam vel parvam esse virtutem — sic et maritum, qui hoc idem servat uxori —, et tamen sunt plurimi tales, quorum sine aliquo peccato esse neminem dixerim, et utique illud qualecumque peccatum ex aliquo vitio venit. Unde pudicitia coniugalis in viris feminisque religiosis cum procul dubio virtus sit — non enim aut nihil aut vitium est —, non tamen secum habet omnes virtutes. Nam si omnes ibi essent, nullum esset vitium; si nullum vitium, nullum omnino peccatum; quis autem sine aliquo peccato? Quis ergo sine aliquo vitio, id est fomite quodam vel quasi radice peccati, cum clamet, qui super pectus Domini discumbebat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est? Neque hoc apud te diutius agendum est, sed propter alios, qui haec forte legerint, dico. Nam tu quidem in eodem ipso opere splendido contra Jovinianum etiam hoc de Scripturis sanctis diligenter probasti, ubi etiam ex hac ipsa epistula, cuius verba sunt, quorum nunc intellectum requirimus, posuisti, quod scriptum est: In multis enim offendimus omnes. Non enim ait „offenditis", sed ait „offendimus", cum Christi loqueretur apostolus, et cum hoc loco dicat: Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, ibi non in uno sed in multis nec quosdam sed omnes dixit offendere.

11 Absit autem, ut quisquam fidelis existimet tot milia servorum Christi, qui veraciter dicunt se habere peccatum, ne se ipsos decipiant et veritas in eis non sit, nullam habere virtutem, cum virtus magna sit sapientia. Dixit autem homini: Ecce pietas est sapientia. Absit autem, ut dicamus tot ac tantos fideles et pios homines Dei non habere pietatem, quam Graeci vel εὐσέβειαν vel expressius et plenius θεοσέβειαν vocant. Quid autem est pietas nisi Dei cultus? Et unde ille colitur nisi caritate? Caritas enim de corde puro et conscientia bona et fide non ficta magna et vera virtus est, quia

---

15 sq. cf. Joh 13, 25; *1 Joh 1, 8.
18 cf. sq. Hier. adv. Jovin. II 2 (PL 23, 284).
21 Jac 3, 2. 23—25 Jac 2, 10.
27—29 cf. Hier., Dial. adv. Pelag. I 19 (PL 23, 512 sq.). 30 *Job 28, 28.
32 sq. cf. Aug., de trinit. XIV 1 (PL 42, 1035 sq.); de civ. Dei X 1 (*ed. E. Hoffmann* [CSEL 40, 1, 447]); Enchir. 1 (PL 40, 231 sq.); *R. C. Trench, Synonyma des NT, übers. v. H. Werner (Tubingae 1907) 104—111; O. Kern, Die Religion der Griechen I (Berolini 1926) 273—290.* 34—119, 1 cf. 1 Tim 1, 5.

ipsa est et finis praecepti. Merito dicta est fortis sicut mors, sive quia nemo eam vincit sicut mortem sive quia in hac vita usque ad mortem est mensura caritatis, sicut Dominus ait: Maiorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis, sive potius, quia, sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic caritas a concupiscentiis carnalibus. Huic subservit scientia, cum est utilis; nam sine illa inflat. Quod vero illa aedificando inpleverit, nihil ibi ista inane, quod inflet, inveniet. Utilem porro scientiam definiendo monstravit, ubi, cum dixisset: Ecce pietas est sapientia, continuo subiunxit: Abstinere vero a malis scientia est. Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis sit caritas? An quanto magis est in homine, tanto magis est virtute praeditus, quanto autem minus, tanto minus inest virtus, quia ipsa est virtus, et quanto minus inest virtus, tanto magis est vitium? Ubi ergo illa plena et perfecta fuerit, nihil ex vitio remanebit.

Proinde mihi videntur Stoici ideo falli, quia proficientem hominem 12
in sapientia nolunt omnino habere sapientiam, sed tunc habere, cum in ea fuerit omnino perfectus, non quia illum provectum negant, sed, nisi ex profundo quodam emergendo repente emicet in auras sapientiae liberas, nulla ex parte esse sapientem. Sicut enim nihil interest ad hominem praefocandum, utrum aquam stadiis multis super se habeat altam an unum palmum vel digitum, sic illos, qui tendunt ad sapientiam, proficere quidem dicunt tamquam ab imo gurgitis surgentes in aerem, sed, nisi totam stultitiam velut opprimentem aquam proficiendo velut emergendo evaserint, non habere virtutem nec esse sapientes, ubi autem evaserint, mox habere totam nec quicquam stultitiae remanere, unde omnino ullum peccatum possit existere.

Haec similitudo, ubi stultitia velut aqua et sapientia velut 13
aër ponitur, ut animus a praefocatione stultitiae tamquam emergens in sapientiam repente respiret, non mihi videtur satis accomodata nostrarum Scripturarum auctoritati, sed illa potius, ut vitium vel stultitia tenebris, luci autem virtus vel sapientia comparetur, quantum ista similia de corporalibus ad intellegibilia duci possunt. Non itaque sicut de aquis in aërem surgens, ubi earum summum transierit, repente, quantum sufficit, inspiratur, sed sicut de tenebris in lucem procedens paulatim progrediendo inluminatur. Quod donec plenissime fiat, iam eum tamen dicimus tamquam de abditissima

1 Cant 8, 6. 3—5 *Joh 15, 13. 7 cf. 1 Cor 8, 1.
9 sq. *Job 28, 28. 12 cf. Rom 13, 10.
17—20 cf. *H. v. Arnim, Stoicorum vet. fragmenta (Lipsiae 1903) I 199, 200 568, 569; III 238 A.*

spelunca egredientem vicinia lucis afflatum tanto magis, quanto magis propinquat egressui, ut illud, quod in eo lucet, sit utique ex lumine, quo progreditur, illud autem, quod adhuc obscurum est, sit ex tenebris, unde egreditur. Itaque et non iustificabitur in conspectu Dei omnis vivens et tamen iustus ex fide vivit. Et induti sunt sancti iustitia alius magis, alius minus, et nemo hic vivit sine peccato, et hoc alius magis, alius minus; optimus autem est, qui minimum.

IV 14 Sed quid ago? Tamquam oblitus, cui loquar, doctori similis factus sum, cum proposuerim, quid abs te discere velim. Sed quia de peccatorum parilitate, unde in id, quod agebam, incidit quaestio, examinandam tibi sententiam meam promere statueram, iam eam tandem aliquando concludam, quia, etsi verum est eum, qui habet unam, omnes habere virtutes, eum, qui unam non habet, nullam habere, nec sic peccata sunt paria, quia, ubi virtus nulla est, nihil quidem rectum est nec tamen ideo non est pravo pravius distortoque distortius. Si autem — quod puto esse verius sacrisque litteris congruentius — ita sunt animae intentiones ut corporis membra, non quod videantur locis, sed quod sentiantur affectibus, et aliud inluminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine et tenebroso inumbratur obstaculo, profecto ita, ut quisque inlustratione piae caritatis affectus est in alio actu magis, in alio minus, in alio nihil, sic dici potest habere aliam, aliam non habere, aliam magis minusve habere virtutem. Nam et „maior est in isto caritas quam in illo“ recte possumus dicere et „aliqua in isto, nulla in illo“, quantum pertinet ad caritatem, quae pietas est, et in ipso uno homine, quod maiorem habeat pudicitiam quam patientiam et maiorem hodie quam heri, si proficit, et adhuc non habeat continentiam et habeat non parvam misericordiam.

15 Et ut generaliter breviterque conplectar, quam de virtute habeo notionem, quod ad recte vivendum adtinet, virtus est caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur. Haec in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero, quae iam non possit augeri, quam diu hic homo vivit, in nemine; quam diu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciet bonum et non peccabit; ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis vivens; propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos

34 faciet] faciat *omn. Codd Edd. priores*; *mutavit Goldb. sec. LXX* (ποιήσει); *quem sequitur Hilberg.*

4 sq. Ps 142, 2. 5 *Hab 2, 4; Rom 1, 17; Gal 3, 11; Hebr 10, 38.
5 sq. cf. Job 29, 14.
28 sqq. ad hoc cp. cf. Aug. ep. 155, 12 sq.; ep. 55, 18 sqq.; ep. 127, 2 sqq.
33 sq. *Eccle 7, 21; cf. 3 Reg 8, 46.
35 Ps 142, 2. 36—121, 1 *1 Joh 1, 8.

ipsos decipimus et veritas in nobis non est; propter quod etiam, quantum libet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cum iam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint. Videt itaque, qui recte videt, ubi et quando et unde speranda sit illa perfectio, cui non sit quod adici possit. Si autem praecepta non essent, non utique esset, ubi se homo certius inspiceret et videret, unde averteretur, quo conaretur, quare gratularetur, quid precaretur. Magna est ergo utilitas praeceptorum, si libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur.

Quae si ita se habent, unde fit omnium reus, si in uno offendat, qui V 16
totam legem servaverit? An forte, quia plenitudo legis caritas est, qua Deus proximusque diligitur, in quibus praeceptis caritatis tota lex pendet et prophetae, merito fit omnium reus, qui contra illam facit, in qua pendent omnia? Nemo autem peccat nisi adversus illam faciendo, quia „non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces“ et, si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur in eo, quod „diliges proximum tuum tamquam te ipsum“. Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo autem legis caritas. Nemo autem diligit proximum nisi diligens Deum, ut hoc, quantum potest, proximo inpendant, quem diligit tamquam se ipsum, ut et ille diligat Deum, quem si ipse non diligit, nec se nec proximum diligit. Ac per hoc, qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus, quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium faciendo contra eam, in qua pendent omnia.

Cur ergo non dicantur paria peccata? An forte quia magis facit 17
contra caritatem, qui gravius peccat, minus, qui levius, et hoc ipso admittit magis et minus, quo fit quidem omnium reus, sed gravius peccans vel in pluribus peccans magis reus, levius autem vel in paucioribus peccans minus reus, tanto maiore scilicet reatu, quanto amplius, tanto minore, quanto minus peccaverit, tamen, etiam si in uno offenderit, reus omnium, quia contra eam facit, in qua pendent omnia? Quae si vera sunt, eo modo et illud absolvitur, quod ait homo etiam apostolicae gratiae: In multis enim offendimus omnes. Offen-

---

2 sq. Mt 6, 12; Lc 11, 4. 10 sq. cf. Jac 2, 10.

10—14 cf. Aug. serm. *ed. a Wilmart* 358, 94—96. Audi et apostolum: Plenitudo, inquit, legis caritas. Non te misit in multa, nec in decem nec in duo (sc. praecepta). Una caritas totum implet. Sed ipsa caritas gemina est, in Deum et in proximum. 11 Rom 13, 10. 12 sq. *Mt 22, 37—40. 15—19 *Rom 13, 9 sq.

19—22 cf. Aug. de moribus eccl. cath. 48—51 (PL 32, 1331 sq.).

22—25 cf. Aug. serm. *ed. a. Wilmart* 360, 161 sqq.: Caritas radix est omnium operum bonorum . . . Cito ergo dico: Qui offendit caritatem, factus est omnium reus. Qui enim radicem ipsam offendit, quid arboris inoffensum relinquit?

34 Jac 3, 2.

dimus enim, sed alius gravius, alius levius, quanto quisque magis minusve peccaverit, tanto in peccato committendo maior, quanto in diligendo Deo et proximo minor et rursus tanto minor in peccati perpetratione, quanto maior in Dei et proximi dilectione, tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis, et tunc perfectissimus in caritate, quando nihil restat ex infirmitate.

18 Nec sane, quantum arbitror, putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini Jesu Christi, si illam distantiam sedendi et standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris ecclesiae contempto paupere instructiore atque sanctiore? Si autem de cotidianis concessibus loquitur, quis non hic peccat, si tamen peccat, nisi cum apud se ipsum intus ita iudicat, ut ei tanto melior, quanto ditior illo videatur? Hoc enim videtur significasse dicendo: Nonne iudicastis apud vosmet
VI 19 ipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum?

Lex itaque libertatis lex caritatis est, de qua dicit: Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum", bene facitis; si autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti a lege quasi transgressores. Et post illam sententiam ad intellegendum difficillimam, de qua satis dixi, quod dicendum putavi, eandem legem libertatis commemorans: Sic, inquit, loquimini et sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Et quoniam, quid paulo ante dixerit, novit, quoniam in multis offendimus omnes, suggerit dominicam tamquam cotidianam cotidianis etsi levioribus tamen vulneribus medicinam: Judicium enim, inquit, sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Hinc enim et Dominus: Dimittite, inquit, et dimittetur vobis; date et dabitur vobis. Superexultut autem misericordia iudicio. Non dictum est: „Vincit misericordia iudicium" — non enim est adversa iudicio —,

1—6 cf. Aug. serm. *ed. a. Wilmart* 360, 180 sqq.: Ergo, fratres, qui committit minora peccata omnium reus est, et qui committit maius aliquod et criminosum peccatum omnium reus est. Sed ille magis reus est, ille minus reus est. . . . Quomodo enim non omnia violavit, qui radicem lesit. Sed ille minus lesit, ille magis lesit. 14 sq. *Jac 2, 4.

16 sqq. Jac 2, 8 sq. 22 sq. Jac 2, 12.

23—29 cf. Aug. serm. *ed. a Wilmart* 361, 206 sqq.: Propter fragilitatem autem navis huius quae longo pelago fertur et temptationibus tamquam tempestatibus agitatur, quia necesse est quaedam, quamvis minore, peccata subrepant, datum est alterum remedium, quia non poterat dari alterum baptismi sacramentum. Illud est unum hoc cottidianum quod paulo ante dixi: Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Date et dabitur vobis, dimittite et dimittetur vobis.

24 Jac 3, 2. 26 sq. Jac 2, 13.

27 sq. *Lc 6, 37 sq. 29 *Jac 2, 13.

sed „superexultat“, quia plures per misericordiam colliguntur, sed qui misericordiam praestiterunt. Beati enim misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus.

Et hoc utique iustum est, ut dimittatur eis, quia dimiserunt, et detur eis, quia dederunt. Inest quippe Deo et misericordia iudicanti et iudicium miseranti. Propter quod ei dicitur: Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine; nam quisquis velut nimium iustus iudicium sine misericordia quasi securus expectat, iram iustissimam provocat, quam timens ille dicit: Ne intres in iudicium cum servo tuo. Unde dicitur populo contumaci: Quid vultis mecum iudicio contendere? Cum enim rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Quae igitur spes est, nisi superexultet misericordia iudicio, sed erga illos, qui misericordiam fecerunt veraciter dicendo: Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus, et sine murmuratione dando? Hilarem enim datorem diligit Deus. Denique sanctus Jacobus iam ex isto loco de misericordiae operibus loquitur, ut, quos vehementer illa sententia terruerat, consoletur, cum admonet, quo modo etiam peccata cotidiana, sine quibus hic non vivitur, cotidianis remediis expientur, ne homo, qui, cum in uno offenderit, fiat omnium reus, in multis offendendo, quia in multis offendimus omnes, magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad tribunal tanti iudicis pervehat et eam, quam non fecit, misericordiam non inveniat, sed potius dimittendo atque donando mereatur sibi dimitti debita reddique promissa. 20

Multa dixi, quibus tibi taedium fortassis inferrem, qui haec, quae tamen adprobas, non expectas discere, quia ea docere consuesti. Si quid autem est in eis, quantum ad res ipsas pertinet — nam, quali eloquio explicata sint, non nimis curo —, si quid ergo est in eis, quod eruditionem offendat tuam, quaeso, ut rescribendo admoneas et me corrigere non graveris. Infelix est enim, qui non tantos et tam sanctos tuorum studiorum labores et digne honorat et de his Domino Deo nostro, cuius munere talis es, gratias agit. Unde cum libentius debeam a quolibet discere, quod inutiliter ignoro, quam promptius quoslibet docere, quod scio, quanto iustius hoc abs te caritatis debitum flagito, cuius doctrina in nomine et adiutorio Domini tantum in Latina lingua ecclesiasticae litterae adiutae sunt, quantum numquam antea potuerunt! Maxime tamen istam sententiam: Quicumque totam legem

---

2 sq. *Mt 5, 7. 6 sq. Ps 100, 1. 9 sq. *Ps 142, 2.
10 sq. Jer 2, 29. 11—13 Prov 20, 8 sq. sec. LXX. 13 sq. Jac 2, 13.
15 Mt 6, 12; Lc 11, 4. 16 2 Cor 9, 7.
19 sq. cf. Jac 5, 16. 21 sq. Jac 3, 2.
33—35 cf. p. 97, 2—4.

servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus si quo alio modo melius exponi posse novit dilectio tua, per Dominum obsecro, uti nobiscum communicare digneris.

Epistula Hieronymi 134 (Aug. 172).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino vere sancto et omni mihi affectione venerabili papae Augustino Hieronymus in Christo salutem.

1 Virum honorabilem, fratrem meum, filium dignationis tuae, Orosium presbyterum et sui merito et te iubente suscepi. Sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit quam loqui, ita ut nostra studia cessarent et iuxta Appium canina exerceretur facundia. Itaque duobus libellis tuis, quos meo nomini dedicasti, eruditissimis et omni eloquentiae splendore fulgentibus ad tempus respondere non potui, non quo quicquam in illis reprehendendum putem, sed quia iuxta beatum apostolum unusquisque in suo sensu abundet, alius quidem sic, alius autem sic. Certe, quicquid dici potuit et tam sublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. Sed quaeso reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium. Nos enim inter nos eruditionis causa disserimus. Ceterum aemuli et maxime haeretici, si diversas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est te amare, suscipere, colere, mirari tuaque dicta quasi mea defendere — certe et in dialogo, quem nuper edidi, beatitudinis tuae, ut dignum fuerat, recordatus sum — magisque demus operam, ut perniciosissima haeresis de ecclesiis auferatur, quae semper simulat paenitentiam, ut docendi in ecclesiis habeat facultatem, ne, si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur.

16 et tam] et *Hilberg*.

9—27 cf. Aug. ep. 202 A, 3 (*ed. Goldb.* IV 303 sq.).

11 Sallust., Hist. II 37 (*ed. R. Dietsch*) = IV 54 *B. Maurenbrecher*; Lactant., Div. Inst. VI 18, 26 (*ed. R. Brandt* [CSEL 19, 551]); Hier. ep. 119, 1 ad Minervium et Alexandrum (*ed. Hilberg* II 447).

15 sq. Rom 14, 5; *1 Cor 7, 7; p. 39, 26 sq. 20—23 cf. p. 45, 32—35. 22 sq. cf. p. 73, 18—20.

23 sq. Hier., Dial. adv. Pelag. III 19 (PL 23, 588—590), scriptus a. 415, ab Augustino postea in ep. 180, 5 ad Oceanum (*ed. Goldb.* III 700) laudatus.

25—27 In synodo Hierosolymitana mensis Julii 415 Pelagius magna calliditate damnationem evitavit (cf. Orosius, Liber apologeticus IV, *ed. C. Zangemeister* [CSEL 5, 601 sqq.]). Brevi ante Hier. iam in longa epistula 133 ad Ctesiphontem (*ed. Hilberg* III 241—260) haeresim Pelagianam impugnaverat.

Sanctae et venerabiles filiae tuae Eustochium et Paula et genere suo 2
et exhortatione tua digne gradiuntur specialiterque salutant beatitudinem tuam, omnis quoque fraternitas, quae nobiscum Domino salvatori servire conantur. Sanctum presbyterum Firmum anno praeterito ob rem earum Ravennam et inde Africam Siciliamque direximus, quem putamus iam in Africae partibus commorari. Sanctos tuo adhaerentes lateri ut meo obsequio salutes, precor. Litteras quoque meas ad sanctum presbyterum Firmum direxi; quae si ad te venerint, ei dirigere non graveris. Incolumem te et mei memorem Christus Dominus custodiat, domine vere sancte et beatissime papa.

Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur 3
penuriam et idcirco praeceptis tuis parere non possumus, maxime in editione Septuaginta, quae asteriscis veribusque distincta est; pleraque enim prioris laboris ob fraudem cuiusdam amisimus.

Epistula Hieronymi 141 (Aug. 195).

Hieronymus ad Augustinum.

Domino sancto ac beatissimo papae Augustino Hieronymus.

Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus sum et habitantem in te dilexi Dominum salvatorem; sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus et plena complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam praeterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti maluistique, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis quam cum pereuntibus

1 Paula iunior, neptis Paulae senioris, filia fratris Eustochiae. Nata anno 400 (vel brevi antea) iam „prius Christo est consecrata quam genita". Tempore huius epistulae in monasterio a Paula avia condita Bethlehem fuit; cf. ep. 143, 2 (infra p. 128, 10). Anno 400 Hier. eius matri Laetae longam epistulam misit, qua eam docuit, quomodo filiam educaret (ep. 107, *ed. Hilberg* II 290—305).

4 sqq. Firmus presbyter Hieronymo iam epistulam duorum Getarum Sunniae et Fretelae detulit et ipsius reponsionem (ep. 106) accepit (post annum 392). Per eundem Hier. a. 405 Augustino ep. 115 (Aug. 81) misit et ab illo ep. 116 (Aug. 82) accepit; cf. p. 73, 11 notam et 74, 9 sq.

11—14 cf. p. 92, 33 sq; ex his verbis elucet Hieronymum praeter Psalterium (quod dicitur „Gallicanum") et librum Job etiam quosdam alios Vet. Test. libros ex recensione hexaplarica Origenis in Latinam linguam vertisse.

22 cf. Eph 4, 14. Haec ep. videtur scripta esse ante „epistulam tractatoriam" Zosimi papae (a. 418), qua decreta synodi Milevitanae (a. 416) et Carthaginiensis (a. 418) Pelagii doctrinam damnantia approbata sunt. Antea Zosimus a Caelestio et Pelagio deceptus horum confessionem fidei ambiguam approbaverat. Ad haec facta Hier. alludere videtur; cf. Aug. de pecc. orig. 19—24 (*ed. Vrba et Zycha* [CSEL 42, 179—183]). 23 sq. cf. Gen 19, 14.

commorari. Scit, quid dicam, prudentia tua. Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt et — quod signum maioris gloriae est — omnes haeretici detestantur et me pari persequuntur odio, ut, quos gladiis nequeant, voto interficiant. Incolumem et mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, domine venerande et beatissime papa.

Epistula Hieronymi 142 (Aug. 123).

Hieronymus ad Augustinum.

Multi utroque claudicant pede et ne fractis quidem cervicibus inclinantur habentes affectum erroris pristini, cum praedicandi eandem non habeant libertatem. Sancti fratres, qui cum nostra sunt parvitate, praecipue sanctae et venerabiles filiae tuae, suppliciter te salutant. Fratres tuos, dominum meum Alypium et dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam. Capta Hierusalem tenetur a Nabuchodonosor nec Hieremiae vult audire consilia, quin potius Aegyptum desiderat, ut moriatur in Taphnes et ibi servitute pereat sempiterna.

7 Haec epistula in omnibus codicibus sine inscriptione sequitur ep. 141 (195). *Vallarsi* duobus Codd monasterii Vindocinensis fultus epp. 141 et 142 unam epistulam declaravit (S. Eus. Hier. opera *ed. Vallarsi* I 1059, nota). Quae sententia diversitate salutationum refutatur. Rectius epistulae initium deperditum putatur. In Cod. Escorialensi s. VIII/IX. (P *Hilberg*) posterior pars „capta — sempiterna" praecedit priorem, quem ordinem textus *Cavallera* (I 331, n. 2) originalem esse vult. Tempus huius ep. difficulter definitur. Certe scripta est adhuc vivente Eustochia. Improbabilis sententia Maurinorum est, qui in hac ep. allusionem ad captionem Romae per Alaricum regem Gotorum (a. 410) inveniunt. Rectius ep. post synodum Carthaginiensem (a. 418), in qua doctrina Pelagii damnata est, scripta habenda est.

4 sq. Quomodo Hieronymum Pelagiani anno 416 persecuti sint, elucet ex epp. 135—138; cf. Aug., de gestis Pelagii 66 (*ed. J. Zycha* [CSEL 42, 121 sq.]); *Grützmacher III 274 sq.* 13 cf. 3 Reg 18, 21; Cicero, de oratore II 61, 249.

9—11 Pelagiani; cf. p. 124, 24—27.

12 Eustochium et Paula iunior; cf. p. 125, 1.

13 sq. Evodius, episcopus urbis Uzalis in Africa proconsulari, amicus Augustini; cf. *Bardenhewer IV 466 sq.* 18 corona: titulus episcopi.

14—16 cf. Jer 43, 2. 7—10. Obscura allusio difficulter intellegenda post synodum Carthaginiensem (a. 418). Si his verbis Johannes episcopus Hierosolymitanus designaretur, epistula ante annum 417, quo (10. Jan.) Johannes mortuus est, scripta esset. Cf. *Grützmacher III 274—276.*

Epistula Hieronymi 143 (Aug. 202).

Hieronymus ad Alypium et Augustinum episcopos.

Dominis vere sanctis atque omni affectione ac iure venerandis Alypio et Augustino episcopis Hieronymus in Christo salutem.

Sanctus Innocentius presbyter, qui huius sermonis est portitor, anno 1
praeterito quasi nequaquam Africam reversurus mea ad dignationem
vestram scripta non sumpsit. Tamen Deo gratias agimus, quod ita
evenit, ut nostrum silentium vestris epistulis vinceretis. Mihi enim
omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestrae reverentiae
testem invocans Deum, quod, sit possit fieri, adsumptis alis columbae
vestris amplexibus inplicarer, semper quidem pro merito virtutum
vestrarum, sed nunc maxime, quia cooperatoribus et auctoribus
vobis haeresis Caelestina iugulata est, quae ita infecit corda multorum,
ut cum superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium
non omittant et, quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se
libertatem docendi [haereseos] perdidisse.

Quod autem quaeritis, utrum rescripserim contra libros Anniani, 2
pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienae blas-
phemiae verba frivola subministret, sciatis me ipsos libros in schedulis
missos a sancto fratre nostro Eusebio presbytero suscepisse non ante
multum temporis et exinde vel ingruentibus morbis vel dormitione sanc-
tae et venerabilis filiae vestrae Eustochiae ita doluisse, ut propemodum
contemnendos putarem. In eodem enim luto haesitat et exceptis verbis
tinnulis atque emendicatis nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus,
ut, dum epistulae meae respondere conatur, apertius se proderet et

6 sqq. Idem, qui Hieronymo nuntium electionis papae Bonifatii (cui respondit Hier. ep. 153) et epistulam Riparii (cui respondit Hier. ep. 152) detulit.

11 sq. cf. Ps 54, 7. 12 cf. p. 49, 9 sqq.

13—15 in synodo Carthaginiensi (a. 418).

18—20 Anniani opus deperditum est. Idem primus omnium complures homilias S. Joh. Chrysostomi in Latinam linguam vertit (PG 50, 471—514; 58, 975—1058); cf. *Chr. Baur, L'entrée littéraire de S. Chrysostome dans le monde latin (Revue d'histoire ecclés. VIII [1907] 249—265).*

21 Eusebius Cremonensis, Hieronymi amicus in controversia Origeniana (*cf. Grützmacher et Cavallera passim*).

22 sq. Eustochium, filia S. Paulae, quae post mortem matris (a. 404) rexit monasterium monialium Bethlehemitanum, Hieronymo carissima, defuncta est initio anni 419; cf. ep. 154, 2 ad Donatum (*ed. Hilberg* III 367).

24 sq. cf. Terent., Phormio 780.

26 Dialogus adv. Pelagianos (PL 23, 495—590).

blasphemias omnibus patefaceret. Quicquid enim in miserabili illa synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc opere profitetur; nec grande est ineptissimis naeniis respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit et notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus, non ut convincamus haeresim emortuam, sed ut imperitiam atque blasphemiam nostris sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret sanctitas tua, ne compellamur contra haereticum nostra laudare. Sancti filii communes Albina, Pinianus et Melania plurimum vos salutant. Has litterulas de sancta Bethleem sancto presbytero Innocentio tradidi perferendas. Neptis vestra Paula miserabiliter deprecatur, ut memores eius sitis, et multum vos salutat. Incolumes vos et memores mei Christi, Domini nostri, tueatur clementia, domini vere sancti atque omnium affectione venerabiles patres.

---

1 sq. In hac synodo mense decembri a. 415 habita Pelagii calliditati contigit damnationem evitare; cf ep. 134, 1 (p. 124); Aug., de gestis Pelagii (*ed. Vrba et Zycha* [CSEL 42, 51—122]); de peccato orig. 11—15 (CSEL 42, 173—177).

8 sq. Albina, filia Melaniae senioris. Cum filia Melania iuniore et Piniano, genero suo, a. 417 ex Africa in Palaestinam migravit. Vetus abalienatio inter Hier. et amicos adversarii sui Rufini (cf. ep. 133, 3 „ea, cuius nomen nigredinis [sc. Melaniae senioris] testatur perfidiae tenebras") tempore huius epistulae remota esse videtur. Ad historiam Melaniae iunioris cf. Pallad., Historia Lausiaca (*ed. Dom C. Butler, Cantabrigiae 1904*), c. 61 et Geront. Vita s. Melaniae (*ed. M. Card. Rampolla del Tindaro, Romae 1905*).

10 sq. Paula iunior mortua Eustochia, cum viginti vix annos nata esset, onus regendi monasterii suscepit.

BR
63
F4
v.22

41600

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
G
BR63 .F4 v.22
Hieronymus/SS. Eusebii Hieronymi et Aure
3 2400 00036 3899